SYNODVS DIOECESANA NEAPOLITANA,

AB EMINENTISS. AC REVERENDISS.

DOMINO D. INNICO

MISERATIONE DIVINA

TITVLI S. CLEMENTIS PRESBYTERO

CARDINALI CARACCIOLO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

In Metropolitana Ecclesia tribus festiuis diebus Sanctissimæ Pentecostes

9. 10. & 11. Iunij.

Anno Sal. Hum. M.DC.LXIX.

Celebrata.






ROMAE, Ex Typogr. Reu. Cameræ Apost. 1669.

IN ACTA SYNODI DIOECESANAE NEAPOLITANÆ

PROOEMIVM.



PRima Diœcesana Synodo ab Eminentiss. ac Reuerendiss. Dño D. INNICO CARDINALI CARACCIOLO, Archiepiscopo Neapolitano, faustè, ac felicitèr, Deo adiuuante, celebrata, vt ne, quæ plurima sanctissimè decreta in ea fuerunt, ignorari à plurimis contingeret, oportuit implere hanc quoque paginam, & eiusdem Synodi acta, typis impressa, pro tota Diœcesi vulgare. enimuerò hinc singuli de suo officio, ac nomine abundè moniti, si tamen tales se aliquando, quales sua ipsorum vitæ ratio postulat, non præstiterint: neque propriam excusare ignorantiam, neque alienam incuriam poterunt accusare. quanquam, cum leges cognitione viuant, & publico, non poterat sanè Synodalibus hisce statutis consuli congruentiùs, quàm si vniuscuiusque oculis, ac toti in perpetuum posteritati in lucem bonam edita obijcerentur: quod ipsum & proborum hominum obseruantiæ gratum, & improborum licentiæ accidet opportunum, rescientibus alteris, quod

exequi velint: alteris, quod violare non possint. Sed quò distinctiùs procedat narratio ista, libet, omnem quadripertitò diuidere: sic vt principiò quæ ante Synodum acta, tum quæ acta singillatim vno quoq; die, videlicet quæ primo primùm, deinde, quæ secundo, demum, quæ tertio (nam triduo tota Synodus peracta est) ex ordine referantur. Et sanè sicubi aliàs, in referendis maximè Synodorum gestis spectanda est non syncera modò, sed etiam cumulata narratio: vt quæ in alio loco tanquam vulgaria, ac minimis minora præterirentur, in hoc eadem accurare decet tanquam vtilia, & oppidò necessaria: ne forte quis existimet, minus roboris inesse ijs actionibus, quas non videt cum iuris solennitatibus, & de præscripta forma fuisse confectas: quocirca operæ fuit, etsi per compendium, omnia tamen scribere, ac narrare fidelissimè singula, quæ aut ipsa, aut non sine ipsis alia cognoscere oporteret. igitur ad propositum veniamus,

ACTA ANTE SYNODVM.

PRimùm omnium quo ipso die Saluatoris nostri recens nati Epiphania colitur, inter eius festi solennia sacrificia, denunciata multo ante in Ecclesia Metropolitana Synodus est, decretumque pro ea celebranda Paschale tempus. Deinde cum ferme mensis superaret, indictus est certior dies, aliaque de more significata, misso, vt fit, per Vrbem, ac Diœcesim circa omnem in hoc exemplar edicto.

Edictum pro conuocãda Diœcesana Synodo.

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

INNICVS MISERATIONE DIVINA TITVLI SANCTI CLEMENTIS S. R. E. Presbyter Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus.

Omnibus, & singulis Christifidelibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Neapolitanæ salutem in Domino.

VIgilantes in agri dominici cultura, & quoad fieri potest, cauentes, ne bonum semen diuino sanguine fœcundatum superseminatis in medio zizanijs inimicus homo, hoc est, hominum implacabilis hostis Diabolus sueta fraude corrumpat, nihil curę, nihil laboris prætermissum volumus, quod ad Dei cultum, ad Ecclesiæ dignitatem, ad Cleri, populique disciplinam fouendam, augendamque facere videatur. quamobrem statim, ac miseratione diuina Archiepiscopale munus aggressi fuimus, omnem solicitudinem nostram huc aduertimus, ne summi Agricolę, Patris nempè cælestis, iustam indignationem otiosi in eius vinea operarij incurreremus. Cumque diuina, humanaque authoritate constet,

morum emendationem, amplificationẽque christianæ pietatis nulla efficaciori arte obtineri, quàm coacto de peruetusto Apostolorum more concilio seniorum, in quibus zelus domus Dei, & salutis proximorum ardor eluceat, statuimus idcircò in hoc velut exordio nostri Præsulatus post visitationem totius Diœcesis ritè peractam secundùm morem, ac modum à sacrosancta Tridentina Synodo præscriptum primam hanc nostram Synodum Diœcesanam Deo adiuuante celebrare. & quamuis Prędecessores nostri iteratis huiusmodi particularibus Concilijs, ac Synodis multa pro rei dignitate, ac necessitate sanctissimè decreuerint; tamen cum semper iuxta Saluatoris verbum necesse sit scandala venire, neque vnquam satis humana possit nequitia expugnari, par est, nos quoque in idem incumbere, & salutare negotium impigrè ab illis susceptum pari mentis ardore promouere. Igitur vocato Dei Omnipotentis auxilio, tũ Beatissimæ Virginis Mariæ, Diui Ianuarij, præcipui Vrbis, Regnique Neapolitani Patroni, atque omnium Sanctorum intercessione exorata, primam Diœcesanam Synodum indicimus, & in hanc nostram Metropolitanam Ecclesiam conuocamus. Vt autem omnibus, & singulis, qui possunt, ac debent iure, aut consuetudine interesse, comperta, & explorata sit nostra hæc indictio, neue aliquis possit excusare ignorantiam, aut contemptum, despectumque se dicere, vniuersis, ac singulis, ad quos spectat interuentus, præsenti Edicto consuetis in locis multo ante publicè proposito, hanc ipsam voluntatem nostram significamus, indicimus, denunciamus, mandantes in virtute sanctæ Obedientię sub pœnis canonico iure sancitis, vt omnes, ac singuli, ad quos spectat, die nona Iunij huius ipsius anni in præsenti dicta Ecclesia Matrice hora vndecima per se, non per alios ipsorum nomine (nisi legitima causa à Nobis examinanda, & probanda impediat) cum honesto clericali habitu, & superpelliceis mundis ad Synodum celebrãdam maturi conueniant. Interea monemus, vt post indictã, promulgatãque hanc Synodũ in omnibus Ciuitatis, ac Diœcesis nostræ Ecclesijs Parochialibus, quoad ipsa Synodus absoluta fuerit, Missa de Spiritu sãcto, vel saltem Oratio, si solennitas occurrentis festi prohibeat, dicatur: & fiant ex animo preces ad impetrandum à Deo auxilium opportunum pro bono Synodaliũ tractationum

num

num ſucceſſu. In quarum rerum fidem has literas manu noſtra ſignatas per Magiſtrum Actorum confici, ſigilloque noſtro muniri. & promulgari, noſtræque Metropolitanæ,& Parochialium maiorum valuis publicè affigi iuſſimus: quam affixionem eam vim habere volumus,ac ſi ipſis ſingulis,quorum intereſt, illæ allatæ, ac denunciatę eſſent. Datum ex Palatio noſtro Archiepiſcopali die 6, Maij 1669.

Innicus Cardinalis Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus.

INterea iuſſu Eminentiſs. ſeſſiones plurimæ à Theologis viris ſunt habitæ, in quibus ſynodalium tractationum capita diſputabantur, primùm priuatim inter ipſos, tum coram eodem Eminentiſs., qui ampliùs Parochos omnes pro vna certa die maturè aduocauit, dicturos coram, ſi quę haberent digna, vt eorum in Synodali conuentu ratio haberetur. Supra tamen omnia curatum eſt hoc ipſo tempore, vt nimirum diuina S. Spiritus gratia inter publica ſacrificia,aliaſque priuatas preces ad Synodi ſucceſſum crebrò in Eccleſijs Parochialibus inuocaretur. quin etiam iſtuc ipſum per circulares literas Regularibus, ac Monialibus omnibus impensè commendatum: vt ſic precibus, & precatoribus multis in vnum collatis largior, vberiorquè diuina miſeratio deſcenderet. Poſtremò cum iuſtum Synodi tempus appeteret, octo ante diebus in Eccleſia Metropolitana poſt cantatum ſolennis Miſſę Euangelium ab Hebdomadario cum pluuiali inſtans poſt octiduum Synodus promulgata eſt: ſtatimque poſt fixæ per vrbem ſunt extremæ monitiones inſtantis Synodi, & in his rurſum dies, hora, locus, externuſque conueniendi habitus de more præſcriptus.

ACTA PRIMO DIE SYNODI.

PRimus Synodi dies in primum diem Sanctissimæ Pentecostes auspicatò incidit. ergo hora constituta deductus à Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ sequentibus,& reliquo Synodali Clero præcedente Eminentissimus est ad eandem Metropolitanam, vbi ante omnia Pontificalem missam cum pompa, & choro musico respondente, cantauit. tum sacris peractis pluuiale induit, & Primicerio, ac duobus Canonicis Diaconis adstātibus genuflexus in faldistorio inchoauit Antiphonam, *Exaudi Domine:* qua absoluta, & sedente in throno Eminentissimo, cæteris verò in consuetis locis recitatus alternatim à Clero est psalmus *Saluum me fac*: & post psalmum preces, vt habentur in Pontificali, dictę: inde dictę Sanctorum Litaniæ, quas genuflexus in faldistorio Eminentissimus audiit, & stans decreta oratione conclusit. Interea Canonicus Diaconus, primò Subdiacono Canonico librum Pontificalis sustentante, cum vsitatis candelabrorū, ac turis ritibus à dextro latere throni, in quem comitantibus iisdem Primicerio, & duobus Canonicis paratis iterum Eminentissimus ascenderat, Euangelium, cuius initium, *Conuocatis Iesus*, in tono consueto perlegit. eo autem Euangelio perlecto, ac reliquis de more post Euangelium actis, ad exorandam Spiritus sancti gratiam Archiepiscopus hymnū *Veni Creator Spiritus*, canere incepit, & prosequutus est genuflexus cum Clero pariter genuflexo primos versiculos,tū stans cum stante reliquos ad finem vsque. Posthæc cūctis sedentibus, intentisque in eum, alloquitur à throno Synodū de præscripta formula, *Venerabiles Confacerdotes*: qua ipsa allocutione completa processit statim in medium sacer Orator, & benedictione ab Eminentissimo petita, acceptaquè hanc ad Synodum pro re, ac tempore orationem habuit.

ORA-

ORATIO.

SI quæ semel à maioribus nostris rectè constituta, diù sine vitio habita, in omne posterum tempus semper incorrupta persisterent: superuacaneus proculdubio foret conuentus iste, laborque pœnitendus, Præsul Eminentissime. Nunc verò sic habent humana, vt quamuis in prima ipsa constitutione desideratum nihil fuerit, nihil prætermissum, quod videre, aut prouidere decuisset, tamen mortalitate sua quasi pondere retroacta inclinentur primò, mox præcipitent: nisi identidem eò, vndè dilapsa sunt, in tempore retrahantur. hinc prudens illa Patrum institutio, vt habitis interdum comitijs, in quibus flos Ecclesiastici Ordinis cogeretur, viderent optimi quiquè, si qua parte damnum fecerit disciplina: si tabes furtim aliqua mores inuaserit, quam strenuè excindere oporteat, ne totum Reip. corpus diffusa sensim contagio depascatur. Tam autem vehementer gaudeo, etiam lætor, hanc ipsam procurationem, grauissimamque prouinciã ad vos, Amplissimi PP. hodierna luce deferri; noui enim quanto vnusquisque vestrum religionis studio ardeat, quo flagret desiderio diuinæ laudis, salutisque humanæ, cui vitam Deus ipse suam posteriorem habuit. Equidem ex hoc loco circumspiciens Senatum istum, omnibus ornamentis, ijs maximè, quibus maximè Sacerdotium ornatur, Sapientia, & Sanctitate cultum in primis, cui ad splendoris cumulum, columenque æternæ felicitatis datus est nuper cum priuata Dei cura, qui summus sedeat in summo, clauumque teneat rectissimum ipse rectissimus, non possum non triumphare, gratulationemque immortalem facere bonorum omnium largitori Deo, cuius munere in ea degimus Ecclesia, quæ, vt dicam moderatissimè, multas de optimis superat, à nulla quamuis optima superatur. Sed tamen, vt fit in rebus humanis nunquam non trepidis, dum lętus ista video, contemplorque, insinuat se molestus quidem, sed non ille intempestiuus timor, ne ista ipsa felicitas, ac tot in vnum scopum collineantia bona cõtra nos faciant. audio quippè malè sanam vocem vicissitudinum humanarum parum gnari. Quorsum, inquit, consessus hic recens? quæ tanta præter rem

tam-

tamque solicita trepidatio? munimur enimuerò, atque defendimur sanctissimis vndequaque legibus: vndique æquissimis sanctionibus perinde vt muro vallamur. quid enim non introspexit inuicta vigilantia maiorum? quid intactum reliquit? vbi nam publicæ incolumitati minimùm defuit? vt iam coactis ab omni parte præsidijs, omnique antidoto ostensa, penè plura sint remedia, quàm mala. Ergò liceat nobis æquè extra aleam, atque extra metum esse: liceat vti beneficio posteritatis, quæ non ignaue, sed feliciter alieno labore potitur. imposita certè coronis est: suprema manus ducta: omnis exhausta cura. si quid nos vltrà curamus, si quid mouemus vltrà, actum sanè agimus, non sine ampliùs clarissimorum iniuria virorum: quando videmur, aut emendare, quod ineptè, aut cumulare, quod minus abundè ipsi præstiterint. Sed mihi mens est longè alia, PP. censeo quippe de priorum solicitudine nihil vos tuta laude posse remittere: debere potius addere aliquid amplius ita, vt florentissimus huius Ecclesiæ status, non solùm non faciat vobis otium, sed etiam postulet vos maximè actuosos, hoc præsertim tempore, hac ipsa die, qua vigilantissimo Præsuli, de toto sacrorum corpore deliberanti, in consilio adestis. Atque hoc ipse vel ex eo maximè conijcio, vndè aliquis contrarium conijcere videbatur. Leges iam multas habemus: quis neget? cuncta vidit incredibilis vigilantia maiorum: esto. num propter hæc soluti vos omni cura estis, omni officio? imò ter tanto amplius, quàm illis, est vobis incumbendum, quippè quibus pars difficillima relicta est. Illorum industria fuit ferre leges: vester labor est latas in rem, executionemque conferre; quod tantò difficiliùs accidit, quantò accidit faciliùs imperata ferre, quàm facere. Errat, & vehementer errat, qui, quòd legem condidit, quòd in ære incidit, aut marmore, quòd ostendit publico, rem sibi factam putat. nō est illi facta profectò. restat, quod caput est, quod est vnicè spectandum, cura obedientiæ. Quoties enimuerò nostra culpa fit, vt, quas leges authoritas figit, refigat audacia: & deficiente successu in tabulis illæ, velut in tumulo conditæ, ludibrio magis sint, quàm præsidio? Videte igitur quanta vos moles premit; quantum Cœlum vestris incumbit humeris; quæ cura, quæ solertia ad vos pertineat, ad quos nulla pertinere videbatur. respicere vos retrò oportet, pensare seriò,

quæ

quæ in presens rogatis olim legibus reuerentia est, quæ obseruantia: ut si fortè aliquas omninò silentes, prostratas, cõculcatas furore peccatiũ depręhẽderitis, excogitetis intimè, qua uia, quibusue artibus pristino eas loco, dignitatiq; reddatis. Vt autem omninò reddatis, illud cũ primi facit, si scilicet vnusquisque vestrum anteeat exemplo. fuit quidem aliquãdò vnius sapientis vox: sed fuit semper omnium planè mortalium sententia, homines malle exempla, quàm verba; quia loqui facile est, pręstare difficile. Cui vel ignauo non liceat docere viuendi normam? at non nisi egregiè probo licet viuere ad normam, ad quam doceat esse viuendum. Itaq; sic in vniuersum statuo, pro restauranda Popoli disciplina, pro emendandis moribus publicis facere momentum non modò magnum, nõ modò maximum, sed etiam omne, disciplinam vestrã. Clerus popularem disciplinam cõstituit, Clerus euertit. Clerus pietatem, religionemq; sustentat, Clerus affligit, non dicto, sed facto, non ore, sed manu, non verbis, sed rebus. Nempè si hic immemor conditionis suæ, hoc est, immemor illius magnificẽtissimę appellationis, qua genus electum, gens sancta, regale Sacerdotum diuino testimonio perhibetur, legum munimenta prosternit, &, quod omnibus inculcatur, ante omnes ipse conculcat: quid expectandum ab irreligioso vulgo? quid à cęteris, quos propria conditio permittit esse profanos? Nullum certè habet locum religio, si nullum habet in templo. si exulat longè extra Sancta sanctitas: triuia incolet, & theatra? nihil adeò profligat mores, neque vnquam magis de disciplina actum est, quàm cum scelera commendat authoritas, & habẽt à peccante ipso patrocinium. Ecquem demum pęniteat improbitatis, si quorum est flagitia persequi, non pudeat eos flagitia sectari? scilicet natura ipsa fert homines in scelera: impellit exemplũ: cogit authoritas. scelus autem natura, exemplo, authoritate firmatum, nulla quauis arte, non dico sternitur, sed ne minimum quidem inclinatur. Frustra tunc prouocamus ad leges: frustra supplicia comminamur: frustra omnem non solùm lapidem, sed, vt sic dicam, montem omnem mouemus. enimuero quiuis ducit paruo doctrinam, quã Doctoris moreses ducunt minimo; & multũ suspecta illa merx est, quam venditor ipse despexit. Ergo licet crediderim, vos optimè, sanctissimèq; institutos non adeò multum laborem impensuros

ſtros, vt ex veſtro in leges obſequio obſequium in eaſdem alienum doceatis; tamen quia humanum non eſt nunquam aberrare à ſcopo: quin ex diuino oraculo in multis oſtendimus omnes, decet omninò agere diligentiùs, atque intendere ſeriò neruos, vt videlicet legum damna conſilio, ſapientia, ante omnia prçclariſſimo exemplo veſtro, quantum pro virili eſt, ab integro reparetis. Sed fingite, quod tamen ipſa vix cogitatione fingi poteſt, nihil ex hac parte ſatagendum: omnes ad vnum in officio eſſe: nihil antiquiùs, nihil ſanctiùs habere, quàm leges: eas venerari, oſculari; tamen iſtuc ipſum poſcit veſtram operam haud paulò diligentiorem, ne quantum ex vna parte proficimus ex altera tantum alterum deficiamus. Nequitia flumen eſt; ſi flumini opponis aggerem: curſum non vetas, ſed vertis. vetitum hàc fluere, immittet ſe aliò multò vehementiùs, & licentiùs erumpet, quà nullo iter obice prohibetur. Negas hanc viam ſceleri? bene eſt. prçcludis hos aditus? quid tum? inueniet ſtatim alios, atque in diuerſam, minus munitam legibus partem cum vi magna incumbet. propterea iſtuc etiam ſummopere videre oportet, an poſt tot ante trucidatas noua aliqua peſtis eruperit, cui ferro, & igni obuiam eundum ſit. naſcuntur enim verò nouæ ſemper cupiditates. nulla fçcundior hydra, quàm vitium. reſectum ad radices momento renaſcitur: adoleſcit de integro: tum alio, & alio vitio multis ueluti fibris tenaciùs radicatur. In ſumma quoad uiuimus, oppugnari nequitia poteſt, expugnari non poteſt. Quapropter ualdè decet, imò prorſus neceſſe eſt, inuictam perniciem inuicto labore perſequi, nec remmittere arcum, intento ſemper ad nouas impreſſiones hoſte. Verùm quid ego pluribus exſuſcitem ad optima optimos? quid ultrò ac per ſe currentes ampliùs inſtimulem? Reſtat ergo illud unum, ut in exitu orationis meç, ſãctæ huic Synodo augurem ſucceſſum auſpicatiſſimum ex auſpicatiſſimo hoc die, quem non ſine Deo ſibi ſumpſit noſtra felicitas. quis enim alter aptior, quis opportunior, quàm iſte, quo cçleſtis ille ſpiritus, à Patre emiſſus, ac filio in conuentuum omnium principem, in prima Eccleſiç capita ſeſe igneus effudit? quocircà ſperare licet imaginem eius beneficij non defuturam nobis, qui primitij illius cõuentus exemplar ſumus. Igitur huc quoq; ad nos, Diuine ſpiritus, author bonç mentis, optimique dator conſilij, huc quoque ades.

Te

Te enim ad hæc bona cœpta venerabundi poscimus, supplices imploramus, Te, inquam, cuius numen semper ouidens affuit, benè semper beatèque prospexit Ecclesiæ isti. rediere solennibus ornati cæremonijs magni dies: redeant quoque miracula: redeat ignis ille tuus, qui se penetrat in medullas: quo ipso & illustramur ad veritatem, & ad sanctitatem incendimur. exorent indulgentiam hanc in nos tuã Diui, Diuæq; omnes. sed præ omnibus Tu, Ianuari Beatissime, in cuius cura, & fide præcipuè nos sumus, hanc indulgentiã exora. Tu, qui soles ignem auertere, ignẽ nunc impetra. abiecisti quondã cruore vindice lethalẽ flãmam, nostris ceruicibus instantẽ, ac deuoraturam florem Vrbium Vrbem hanc tuam; nunc eodem cruore supplici vitalem aliam euoca de Cælo. compensa incendium incendio, flammam flammam. Erebus eructauerat illam: Cælum hanc alteram mittat, & per te mittat, qui Ecclesiæ tuę viuis etiam extinctus. vigilat enimuerò cruor tuus incolumitati tuorũ, & à vitro, tanquam à specula, incursura mala prospectat: quasi de Te viuo vnum hoc moriens seruaueris Tibi, vnum negaueris sepulcro, curam nostri. hanc curam ipsam nũc pius excita: nunc ostende potissimam, cum Proceres Ecclesiæ huius, carissimi Clientes tui, in augustã hanc ædem, ante tuas aras, sub hærede dignissimo laudum tuarum, vnanimi conuenere. Tu ergo dignos tanto conuentu sensus ministra: inijce Tu vnicuique eorum eam mentem, vt cætera obliti vnum Dei honorem, religionis augmentum, restaurationem morum, salutem publicam ob oculos, & in oculis habeant. fac demum, vt quæcumque hic geruntur, non probatore modò, sed authore, sed Duce etiam Te, Diuinæ primùm laudi, tum vtilitati nostræ gerantur.

ORatione dicta, Vicarius Generalis sacrosancti Concilij Tridentini librum, & alia quædam Decretorum folia ad Eminentissimum detulit, quę Secretarius Synodi, à Magistro cæremoniarum comitatus, post exhibita de more honoris signa ab eodem Eminentissimo accipiens, rectà ad suggestum pergit, ac de eo decreta, quæ sequuntur, alta voce pronunciat.

De-

Decretum de incepta Synodo.

In Nomine Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

NOs Innicus Miseratione Diuina Tituli S. Clementis S.R.E. Præsbyter Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus ad Laudem Dei Omnipotentis, ac Beatissimæ Virginis Deiparæ MARIÆ, Patronorum Ianuarij, Agnelli, & aliorum omnium Sanctorum, Sanctarumque primam hanc nostram Diœcesanam Synodum incipimus, & inceptã esse volumus. Idem Deus eiusdẽ Deiparæ, ac Sanctorum pre. cibus, meritisque placatus pro sua benignissima largitate hoc in nobis à templo sancto suo operetur, vt, quæ recta sunt, sueque Diuinissimæ Maiestati placita, & in pręsens videre, & in posterum exequi, valeamus.

Decretum de non inferendo præiudicio.

SI pro hoc tempore Synodalium actionum aliquem præter, aut contra conditionem suæ dignitatis, gradus, vel muneris stare, sedere, incedere, vocari contigerit, nemini propterea illatum præiudicium vllum, aut nouum ius acquisitum fuisse decernimus: sed in eo adhuc honoris gradu, vt erat, priusquam Synodus cogeretur, pro suo primo iure vnumquemque persistere.

Decretum de deferendis querelis, & absentia excusanda.

SI quis aliqua ratione grauatus, de aliquo conqueri vult, aut aliam quamcunque legitimam accusationem deferre, ad Vicarium nostrum Generalem, aliosue ordinarios nostræ Curiæ Consultores conquesturus, aut delaturus, tanquam ad Iudices querelarum à nobis specialiter pro hoc tẽpore deputatos accedat, reseruata tamen authoritate auocãdi ad nos, etiam durante Synodo, huiusmodi causas, vel alijs ad nostrum beneplacitum committendi. Si quis præterà absen-

fen-

ſentiam alicuius excuſare voluerit, conueniat eoſdem, abſentiæ quoque Iudices deputatos.

Decretum de non diſcedendo.

PReterea vobis omnibus, ac ſingulis, qui de iure, aut cõſuetudine huic Synodo pręſentes adeſtis, impoſita pœna excommunicationis, præcipimus, ac mandamus, ne, antequã legitimè Synodus dimiſſa ſit, aliquis veſtrum ſine Vicarij Generalis facultate ſibi ſpecialiter facta à noſtra hac vrbe diſcedere audeat. Quin etiam ſub eadem pœna excommunicationis iubemus, vos omnes, ac ſingulos huic Synodo, atque huius Synodi actionibus, ſeſſionibus, & conuentibus omnibus indictis, aut indicendis, cõſueta forma, ac modo intereſſe.

Decretum de Officialibus Synodi.

VT verò noſtra hæc Synodus legitimè coacta, legitimè gubernetur, pro recto agendorum ordine, ac valore ſtatuimus in ea Officiales, videlicet

Promotorem Nicolaum Gilibertum V.I.D.) Secretarium Franciſcum Antonium Curtium V.I.D.) Noſtræ Metropolitanæ Canonicos.

Theologum P. Antonium Caſilium Societatis Ieſu.

Magiſtros Cæremoniarum, quibus pro ipſorum munere omnes obediant, Agnellum Ricciardone, & Vincentium de Marinis) eiuſdem Metropolitanæ Hebdomadarios.

Denique Notarium Vincentium Ayeta in noſtra Archiepiſcopali Curia Actorum Magiſtrum.

Poſt Officiales ita, vt dictum eſt, conſtitutos, lectum inſuper eſt Decretum Sacri Concilij Tridentini de Reſidentia, *Cum præcepto diuino*. Deinde alterum de profeſſione fidei legendum erat: niſi, quòd proceſſerat hora plus iuſto, ſatius viſum fuiſſet, terminare ſeſſionem, & hanc fidei ſolennitatem reijcere in conſequẽtẽ diem. itaque Secretarius de mandato Eminentiſſimi legit his verbis

De-

Decretum de sessione secunda.

SEcundam sessionem crastina luce, quæ erit decima huius mensis, mane, hora item decima, futuram indicimus, atque decernimus.

Post hec data ab Eminentissimo benedictio: publicatæ centum dierum indulgentiæ: & prima sessio conclusa.



ACTA

ACTA SECVNDO DIE SYNODI.

SEcundus Synodi dies, qui fuit item secūdus Pentecostes cum solito comitatu ab Archiepiscopali Palatio ad Ecclesiam Metropolitanam uenit Eminentissimus, missamque ipse priuatam legit, assistentibus tamen Primicerio, & duobus Canonicis Diaconis paratis. Postquā autem sacris operatus est, uestem sacrificij in solio exuit, assumptoq; pluuiali, ac mitra ad faldistorium oraturus accessit, tum antiphonam inchoauit, *Propitius esto*: qua completa, cunctisque sedentibus cantatus alternatim est psalmus, *Deus venerunt gentes*: cui psalmo stans Archiepiscopus addidit præscriptas in Pontificali orationes. Exinde lectum euangelium *Designauit Dominus*, cum libri osculo, & turificatione Archiepiscopi, ut hesterna die. dictus postea hymnus *Veni Creator Spiritus*, itemque ad Clerum facta allocutio, *Venerabiles*, post quam Promotor Synodi succedens throno pro dilata in istū diem fidei professione sic instat:

Eminentissime, ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

SAcrosancta Tridētina Synodus speciali sua constitutione decreuit, ut, quicunque beneficia ecclesiastica obtinent, & Synodo præsentes adesse tenentur, quo primùm tempore hæc habebitur, eique interfuerint, fidei professionem emittant. Idcircò ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor submisse postulo, atq; insto, ut illa constitutio publicè perlegatur: undè ij, quibus ista præcipiuntur, cuncta, ut par est, sanctè possint, in egreque præstare.

Cum sic Promotor instaret, Vicarius Generalis Tridentini librum cum decreto de fidei professione emittenda produxit, detulitque ad Eminentissimum. Eminentissimus Secretario mox tradidit, qui ascendit pulpitum, & clara uoce sic legit:

Decretum de fidei professione facienda.

PEr sacrosanctum Tridentinum Concilium decretum est, vt omnes ecclesiastica beneficia consecuti, & ad Synodū

Diœcesanam de iure, aut de consuetudine conuenientes, pro ea prima vice, qua diœcesanæ synodo interfuerint, publicam fidei professionem faciant. Verba concilij Tridentini sic habent : *Cogit temporum, &c.* Igitur vniuersi, qui beneficia ecclesiastica sunt consecuti, & ad synodum diœcesanam de iure, aut de consuetudine nunc primùm cõuenerunt, neque aliàs in ea fidem professi sunt, in medium procedant, & genuflexi ante Eminentissimum, ac Reuerendissimum Dominum ex præscripta à Pio IV. formula fidem publicè profiteantur.

Tum procedentibus in medium fidem professuris idem ipse Secretarius secundùm præscriptam Pontificis formulam voce præibat, *Ego N.* &c. illi contra totidem verbis Secretarium præeuntem sequebantur, vsq; eo dum formula absoluta ijdem iurarent publicè coram Eminentissimo in sancta Euangelia, nunquam se aliter iudicaturos, aut credituros, quàm quod vltro publicis illis verbis iudicaturos, aut credituros se esse spoponderant.

Post hæc Promotor instare pro Examinatorũ, & Iudicum synodalium delectu.

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

TRidentinum Concilium constitutioni Bonifacij VIII. inhærens voluit, atque decreuit, vt in singulos annos, cum diœcesana synodus celebratur, sex minimum ab Episcopo, aut eius Vicario Examinatores nominentur, quorum tres ab Episcopo eligendi, simul cum eodem ad Ecclesias Parochiales promouendorum examen instituant. Mandauit ampliùs, vt in eadem diœcesana synodo deligantur, quibus dignitate aliqua, aut personatu, aut Cathedralis Ecclesiæ Canonicatu fulgentibus præter locorum Ordinarios causæ ecclesiasticæ, & spirituales ad forum ecclesiasticum spectantes per Apostolicæ Sedis literas, aut Legatos committi possint. quapropter ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor rogo humillimè, vt ab Eminentia tua proponantur, quos ad examinandum, & iudicandum, prout in prædictis constitutionibus sancitur, possit hęc sancta synodus deligere, & designare.

Hic tum Generalis Vicarius obtulit Eminentissimo decreta

ta de Examinatoribus, & Iudicibus, insuper etiam de Testibus synodalibus, quæ decreta reuerenter accepit Secretarius, & priusquam legeret ea, legit decretum Concilij Tridentini *Examinatores autem, &c.* cui statim addit

Decretum de Examinatoribus Synodalibus.

NOs ergo, ut sanctissimæ constitutioni debitum morem geramus, proponimus vobis hos viros pietate, ac doctrina præstantes, qui, donec noua synodus celebretur, examinandi munere fugantur,

Ioannem Franciscum Ingenuum V.I.D. Secretarium Examinis.
Matthaeum Renzi S.T.D.
Thobiam Carolum Campanile S.T.D.
Matthiam Guarracinum S.T.D.
Franciscum Antonium Curtium V.I.D.
Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicos.
P.D.Petrum Gisolfum Congregationis Piorum Operariorum.
D.Franciscum Staybanum S.T.D.
D.Antonium Venetia S.T.P. Metropolitanæ Ecclesiæ Parochum.
P.Carolum Lombardum Congregationis Oratorij.
P.D.Angelum Pistachium Clericorum Regularium Theatinorum.
P.Ioseph Imperiale Societ. Iesu.
P.Franciscum Guarinum Societ. Iesu.
P.Nicephorum Sebastum Ordinis Eremitarum S.Augustini S.T.M.
P.Prosperum à Potentia Ordinis Conuentualium S.T.M.
P.Placidum à Paterno Ordinis Minimorum.
P.Fr.Franciscum Alphanum Ordinis D.Mariæ Mercedis.
P.Dionysium à S.Andrea Carmelitarum Discalceatorum.

& statim Secretarius rogauit synodum, probaret ne ipsa propositos Examinatores? Respondítque synodus probare. quapropter eo ipso tempore designati Examinatores præter PP. Placidum à Paterno, & Dionysium à S.Andrea absentes, singuli genuflexi ante Archiepiscopum, Reliquias S. Ioannis Baptistę vtraque manu sustinentem, tactis illis ipsis reliquijs promiserunt, spoponderunt, iurarunt, susceptum Examinatoris officium fideliter, & sincerè, quantum in ipsis foret, esse exequuturos.

Deinde pro Iudicibus eligendis legit ex eodem Tridentino Secretarius constitutionem *Quoniam*, statimq; subdit

Decretum de Iudicibus Synodalibus.

QVam Nos sacrosancti Concilij determinationem, Summorumq; Pontificum dispositionem sedulò amplectētes, quibus delegari prædictæ causæ possint, quoad synodus diœcesana iterum habeatur, vobis proponimus,

Ioannem Franciscum Ingenuum V.I.D.
Dominicum Ascione V.I.D.
Antonium Tango V.I.D.
Ioannem Baptistam de Sio V.I.D.
Franciscum Antonium Curtium V.I.D.
Hieronymum Balsamo V.I.D.
Nicolaum Gilibertum V.I.D.
nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicos.

rogauitque rursus synodum, an eos quoque propositos Iudices probaret? iterumque eos probare synodus tota respōdit. & tertiò subdit

Decretum de Testibus Synodalibus.

EX antiqua consuetudine, sanctorum Canonum statutis inducta, solenne est, in diœcesanis synodis viros vitæ integritate lucentes, & simul diuini honoris studio ardentes eligi, qui, si quid viderint, aut rescierint, quod in Vrbe, ac Diœcesi nostra emendari, & corrigi oporteat, maximè si pusillis scandalum faciat, Nobis, aut Vicario Generali nostro maturè significent: & de re aliqua, quæ emendatione, aut correctione digna sit, rogati, fideliter, quod sciunt, ac sentiunt, referant. Nos inhærentes vetustissimæ item vt sanctissimæ cōsuetudini, pro Vrbe, ac Diœcesi eligimus viros, quorum nomina, vt liberiùs id agant, quod agendum ipsis præcipitur, in hac schedula, nostro obsignata sigillo, clausa reticentur.

Atque his ita peractis Promotor institit pro lectione synodalium decretorum his verbis:

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

VT vnicuique facilè sit exequi, quod sibi cognouerit exequendum, ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius synodi Promotor obnixè peto, atq; insto suppliciter,

pliciter, vt quæ Eminentia tua pro recta Ecclesiæ huius gubernatione, pro Clericalis vitæ honestate, & pro demum totius sanctæ plebis institutione, aut sancita iam renouare, aut nouiter sancire iudicauerit, promulgari, atque edici omnia iubeat. vnde Clerus hic præsens abundè edoctus, omnium, de quibus Eminentia tua monitum ipsum uelit, promptam obseruantiam, & in se recipere ualeat, & præbere.

Instantia absoluta Vicarius Generalis Eminentissimo codicem synodalium decretorum exhibet. Eminentissimus legenda dat Secretario, qui demum sic de pulpito incipit.

In nomine Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

NOs Innicus miseratione Diuina tituli Sancti Clementis S.R.E. Presbyter Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus, ad promouendum studium sanctæ disciplinæ, ad integram morum reformationem obtinendam, pro paterna in gregem nostrum uigilantia, post maturam discussionem, certamque deliberationem, ea, quæ sequuntur, decernimus, &, qua ualemus potestate, omnibus respectiuè obseruanda mandamus.

Tum Secretarius sedens lectionem decretorum auspicatur: legeratque iam eorum bonam partem. sed cum esset hora tardior, Eminentissimus iussit lectionem abrumpi, &, quæ superabat, reijci in tertium diem. proinde lectione decretorum intermissa, Secretarius tertiam sessionem indixit hac forma.

Decretum de Sessione tertia.

TErtiam sessionem crastina luce, quæ erit vndecima huius mensis, mane, hora 10. futuram indicimus, atque decernimus.

Ad hæc impertita de more benedictio, indulgentiæ concessæ, ac terminata demum secunda sessio est.

ACTA DIE TERTIO SYNODI.

TErtius, idemque postremus Synodi dies, tertius pariter Pentecostes fuit. itaque Eminentissimus à Clero secũdùm morem associatus ad Cathedralem processit, tertiumque sacrum, cum eorundem Canonicorum, & Primicerij assistentia fecit. inchoatur inde sessio, recitata vt primo die antiphona, & psalmo, tantùm orationibus, vt in Pontificali, mutatis.canitur insuper de consueto ritu Euangelium *Si peccauerit in te*. *Veni Creator Spiritus*. postea fit allocutio, *Venerabiles* ma hac autem expleta instat Promotor pro continuanda lectione Synodalium decretorum.

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

HEsterno die per temporis angustias decreta omnia peruulgare non licuit. cum igitur ea sint peruulgatu dignissima,publicęque vtilitati faciant quàm maximè, Ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor, quantum in me est, rogo, vt, quæ supersunt, antequam dimittatur Synodus, perlegantur.

Audita instãtia Secret. ab Eminẽtiss.codicẽ Decretorũ accepit, & ab eo, vbi desierat, lectionẽ instituit. Sed quamuis ea decreta non hoc ipso die omnia perlecta sunt: omnia tamen, inter huius diei acta colligimus, vt sic magis, commodemus Lectori, qui non à diuersis ea locis repetere discerpta, sed in vnum locum coacta vno consequenti intuitu poterit faciliori negotio percurrere. In sua ergo capita, & materias decreta omnia distributa huiusmodi fuerunt.

DE-

DECRETA SYNODALIA
DE DOCTRINA CHRISTIANA.

NOn raró accidit, homines prouectæ ætatis initia Christianæ fidei, & ea ipsa, quę sunt ad salutem vnicè necessaria, ignorare: quæ absurditas cum inde nascatur, quòd Parochi, alijue, ad quos spectat, in imbuendis Doctrina Christiana pueris multùm desides reperiũtur; ideò Nos, quàm possumus seriò, ipsis iniungimus, vt in hac tam salutari, tam propria ipsorum eruditione omnem operam, studiumque collocent, & diebus festis aliqua solennitate non impeditis à prandio campanulæ sono conuocent ad Doctrinam Christianam pueros, eosquè in caritate Dei, & patientia Christi doceant, quæ credere, quæ facere oporteat, vt animæ salutem, si secundùm ea vixerint, assequantur.

De Sacris Reliquijs, & Imaginibus.

I.

NE in Veneratione Sanctarum Reliquiarum error aliquis contingat, seruetur exactè, quod Sacrosanta Tridentina Synodus, seruandum mandauit, vt nimirum antequam publicæ venerationi fidelium in Ecclesijs etiam exemptis proponantur, approbentur per Nos, vel per Curiam nostrã, renouata pœna olim constituta interdicti, alijsque nostro arbitrio reseruatis.

II.

CVltum Sacrarum Imaginum, quem Ecclesia Christi cõtra Synagogam Satanæ omnibus temporibus, maximè nouissimis istis, quæ Iconomachorum furorem suscitarunt, amplexa est, promouendum curantes, cum ingenti dolore animaduertimus, in hac ipsa nostra Vrbe incautam quorundam temeritatem eò processisse, vt Sanctorum imagines,

ipſumque ſalutiferæ Crucis Signum, quod in fronte Regum nunc eſt, in immundiſſimis, proiectiſq; locis ad arcendas ſordes prętereuntium in deriſum Chriſtianæ Religionis depingat. Nos pro debito noſtræ vigilantiæ iſtum damnabiliſſimum abuſum eliminaturi, ne poſthac talis irreuerentia ſanctis vſpiam imaginibus irrogetur, primum omniū, quod multo ante Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regul. die 22. Maij 1556. in vna ſua particulari præcepit, nos etiam pro hac noſtra Ciuitate, ac tota Diœceſi diſtrictè præcipimus, ac mandamus, vt quæcunque hę imagines, aliaque ſacra Signa in præfatis locis collocata antehac fuerint, illicò deleantur: in poſterum verò tempus ſub pœna excommunicationis ipſo iure nemo audeat; Beatorum, Sanctorumquè imagines, ſiue vllum quodcumque ſacrum Signum in publicis parietibus depingere, aut quomodolibet efformare, quod, minimum, vnius vlnæ ab imo ſolo altitudinem non habeat.

III.

EX fel. rec. Vrbani VIII. conſtitutione nemo tam ſæcularium, quàm Regularium Sanctorum imagines alijs veſtibus, ac forma induat, quàm ab antiquo eas induere Sancta conſueuit Eccleſia: pręſertim ne contra eiuſdem Eccleſię ſolitum induat ſpeciali alicuius ordinis habitu. Ex eadem Conſtitutione in Eccleſijs, aut in earum facie, in atrijs, porticibuſque profana picturæ, vel ſculpturę ſimulacra non collocentur, tranſgreſſoribus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus vtcunque exemptis, & Sedi Apoſtolicę immediatè ſubiectis tanquam eiuſdem Apoſtolicæ Sedis delegati pęnam excommunicationis, aliaſque arbitrio noſtro reſeruatas comminamur.

IV.

SIcuti pium fidelium vſum Sanctorum imagines decenter ornatas venerationi prætereuntium à publicis parietibus proponentem multùm commendamus; ità ſeriò reprehendimus abuſum aliorum, qui coram prædictis imaginibus feſtiuas ſonorum, cantuumque modulationes, alioſque profa-

nos

nos lusus superstitiosè magis, quàm religiosè audent celebrare; quin etiam diuina officia antè eas via publica indecētissimè aliquando peracta fuisse, accepimus: quæ vt longissimè ablegentur, in virtute præteritorum, & quatenus opus fuerit, pręsentis etiam statuti prohibemus prędictos abusus, confirmantes respectiuè pœnas olim propositas excommunicationis latę sententię in priores, in posteriores verò si de clero sæculari fuerint centum librarum ceræ elaboratę pro locis pijs, si de regulari interdicti proprię Ecclesiæ.

De Actionibus, seu Repræsentationibus.

NVllę actiones, seu representationes scenicę, cuiuscunq; argumenti fuerint, etiam si sacri, in Ecclesia agantur: neque in eius atrio, aut area; aliter ipsa Ecclesia interdicto subiaceat. Nulli similiter profani lusus pro quauis celebritate, aut alterius lętitiæ causa sub ijsdem pœnis in ijsdem locis fiant. Personæ verò Ecclesiasticę pœna semestris carceris proposita in præfatis actionibus non recitent. In vniuersum autem sub pœna excommunicationis nemo repręsentet actiones vllas, quas à nobis deputati eas reuidentes non probauerint, & pro quibus repręsentandis non accesserit nostra, aut Vicarij nostri Generalis scripta licentia.

De Sacramentorum Administratione.

QVandoquidem præcipuum Parochorum munus est, fidelibuș sibi commissis Ecclesiæ Sacramenta ministrare: vt hæc ipsa morti proximis cum speciali cura ministrentur, satagendum est. quoniam verò repentini casus ita ferūt, vt celeris eorum opera desideretur, caueant, Parochiam longum tempus intra eundem diem omninò destituere, cui, vel ipsi, vel ipsorum Adiutores non assistant: ne de repente vocati in re cæteroqui grauissima, & ad ipsos ex iustitia spectante morientium temporibus desint. Verumtamen si forte contingat adhùc, vocatum Parochum aliqua de causa abesse, & ab euidenti mortis periculo non posse Sacramentorū administrationem differri, quemadmodum voluere Præde-

cef-

cessores nostri, ita Nos quoque volumus, vt incidente huiusmodi necessitate Sacramenta Confessionis, Viatici, & extremæ Vnctionis à viciniore Parochia peti possint, & petita licitè ministrari, citra tamen præiudicium iurium Parochialium Sacerdoti proprio debitorum.

De Baptismo.

I.

CVm multis morborum casibus paruuli recèns nati obnoxij sint, & nisi maturè baptizentur, contingere non rarò possit, eos celeri morte, non dum ex aqua, & Spiritu sancto renatos, cum ingenti animarum damno decedere: Nos prouidere, vt par est, optantes æternæ eorundem infantium saluti, & parentum quorundam crudelem incuriam damnantes, districtè præcipimus, vt, quàm citiùs potest, infanti Baptismus conferatur: saltem ne vltra diem octauum ab ortu prorogetur, excommunicatione ipso facto parentibus, si transgressores extiterint, irrogata.

II.

NIsi vrgeat necessitas, atque aliter infantis salus poscat; nolumus administrari hoc Sacramentum, hora 24. iam elapsa: quemadmodum in Synodo superiore statutum est: & Nos sub pœnis ibi contentis omninò confirmamus, illud insuper Parochis omnibus mandantes, vt, ne forte memoria excidant nomina baptizatorum, qua maiori celeritate fieri potest, in consueto libro describant secundùm formam Ritualis Romani, quod ijdem Parochi penes se habeant, mulctandi, si neglexerint, pœna alia in Synodo constituta.

III.

SI fortè metu mortis baptizatus celeriter infans domi fuerit, rectèquè deinde conualuerit, ad reliquas Ecclesiæ cæremonias suscipiendas maturè in Ecclesiam deferatur: sic vt prædictus octo dierum terminus à die, quo infans conua-

lue-

lucrit, nullo modo protrahatur.

IV.

ALiquę obstetrices obstetricandi munus exercent, & tamen ignorant necessaria pro ministrãdo rite Baptismo in casu necessitatis: ex quo plurimos infantes subire periculum æternæ salutis necesse est. proinde cum omni cura Parochis nostris iniungimus, vt, quas habent intra fines Parochiæ suæ huius generis fœminas, pleniùs edoceant de forma, ac ritu ministrandi hoc tam necessarium infantibus Sacramentum, neque eas admittant, nisi plenè pro suo munere instructas repererint. Si verò acciderit ab obstetrice, imminente mortis periculo, Baptizatos superuiuere, curent ijdem certificari de modo, quo id factum est, vt, si quis error in eius Baptismi administratione inciderit, aut incidisse probabiliter dubitetur, tempestiuè, ac in tempore vsitatis cautionibus corrigatur.

De Confirmatione.

I.

QVi sunt confirmandi, & ętatem confessioni requisitam habent, quò Sacramentum hoc accipiant decentiùs, ac fructuosius, moneri debent, vt prius quam ad accipiendũ accedant, ritè confiteantur.

II.

NEmo non confirmatus alium cõfirmandum præsentet. Idem sit maior natu, & sine nostra expressa licentia plures, quàm vnum, vel duos eodem die non præsentet. Cæterùm Magistri Cæremoniarum in nostra Cathedrali Ecclesia recèns confirmatorum nomina, & familiam in libro ad hoc speciale munus deputato statim describant: curentq; hoc ipsum Parochi, cum inter visitandum, confirmatio in transitu administratur.

No-

III.

NOlumus hoc Sacramentum cuipiam in Oratorijs priuatis ministrari: quam ob rem cum alicui Episcopo datur à Nobis facultas exercendi Pontificalia ad confirmandũ in Ciuitate hac, & Diœcesi nostra, intelligatur data, vt exerceantur in publicis Ecclesijs, non autem Monialium.

De Eucharistia, eiusque administratione.

I.

CVltus diuinissimæ Eucharistiæ cum per se, tum quod ex isto hisce præsertim temporibus Ecclesię sanctę filij ab eiusdem impugnatoribus separantur, planè maximus esse debet. proinde æquum est, non solùm internam cordis, sed etiam externam corporis reuerentiam à fidelibus, quoad eius fieri potest, summam exhiberi, tunc maximè, cum grauibus de causis per nos probatis, deque licentia nostra publicæ adorationi à hierotheca exponitur: quæ tamen expositio iterum sub pœnis in Synodo anni 1646. statutis præcipimus, ne ante ortum solis incipiat, neue post eiusdem occasum continuetur.

II.

CVm Ecclesijs, quibus Eucharistici tabernàculi vsus non est, conceditur facultas exponendi Sanctissimum Sacramentum, nunquam intelligatur concessa vltrà meridiem; quapropter ante hunc deponatur, & à quopiam celebrante, proximè post sumptionem sanguinis absumatur. Transgressores puniantur item, vt ij, qui nulla à nobis licentia obtenta Sacramentum exponunt.

III.

IN postrema Diœcesana Synodo iniunctum Parochis, & Rectoribus omnibus fuit, vt pro quauis quadragesimæ

Do-

Dominica inter solennia Missarum, aut alio quouis tempore, cum frequentior diuinis adest populus, moneant fideles suos, falsò credi, annuæ Communionis ab Ecclesia præceptę tempus vsque ad Dominicam Pētecostes licitè protrahi. sed cum idem error in multis adhuc inolitus perseueret, ipsumque ad praxim contra legitimum Ecclesię morem deducant, idem Nos rursum iniungimus, mandantes iisdem Parochis, & Rectoribus, vt memores muneris sui doceant diligenter pro temporis opportunitate, verum tempus, quo tenentur vtriusque sexus Fideles exequi præceptum annuæ Communionis, ab Hebdomada Sancta, vsque ad Octauam Resurrectionis D. N. I. C. haberi: qui verò intra hoc tempus, cum possint, non communicauerint, præter peccatum mortale, quod ob transgressionem Ecclesiastici præcepti commiserint, ampliùs interdicto personaliter teneri.

IV.

SCiant præterea fideles, qui tenentur in Paschate communicare, non satisfacere ipsos præcepto, nisi Sacram Communionem in propria Parochiali Ecclesia, vel in nostra Metropolitana acceperint. Parochi verò & ipsi sciant, aliàs fuisse prohibitum, irrogata pœna Suspensionis à diuinis incurrenda ipso facto, impertiri facultatem communicandi contra tenorem huius constitutionis, excepto casu necessitatis.

V.

SChedulas, quæ distribui solent in Paschate pro publica peractæ Communionis fide, aliqui, sæpius ibidem aut in diuersis locis pro illo 15. dierum spatio communicantes, binas, ternas, aut etiam plures accipiunt, easque in fraudem præcepti non communicantibus donant, vel etiam detestabiliùs vendunt. quæ inaudita peruersitas cùm debeat penitus ablegari, primùm monemus Parochos, aliosquè schedularum harum distributores (qui nullo modo, nisi pro magna necessitate, sint minores Clerici) vt videant, quoad possunt, ne eidem multiplicentur. Deinde qui vnam, vel

plu-

plures schedulas siue in eadem, siue in diuersa Parochia malitiosè acceperit, siuè propriã non communicanti tradiderit, tam ipse, quàm qui traditam acceperit, excommunicationi ipso facto subijciatur.

De Missa, eiusque Celebratione.

I.

SAcrosanctum Missæ Sacrificium, in quo salutaris illa Hostia Christus IESVS per Sacerdotũ manus Deo Patri pro totius Mundi salute offertur, qua pietate, ac religione peragi debeat, nemo non videt: propter hæc vehementer dolemus, esse Sacerdotes, qui actionem illam etiam Angelis tremendam multùm irreligiosè partim ex ignorantia, partim ex ignauia conficiunt. Curent igitur pro summa rei grauitate Sacerdotes nostri, non solùm, qua decet, interna animi munditia, sed etiam externo, qui præcipitur in Rubricis, cultu, Sanctam, & immaculatam Hostiam offerre, non cursim, & pręcipitanter, sed moderatè, atque intelligibiliter cum debitis pausis verba proferentes, cæterosque corporis gestus cum grauitate, & maxima sui totius compositione dispensantes. qui verò, nostris hiscè monitionibus spretis, Sacerdotali ministerio se indignos probauerint, & nihilominus tam venerabilia sacra profanè tractauerint, intelligant, pro nostro arbitrio ab ordinis exercitio esse suspendendos.

II.

NEmo ex recèns initiatis primam Missam offerat, nisi à Nobis idoneus ad eum actum iudicetur: & nisi præterea testimonium probati alicuius viri ferat, quod paulo ante iturus obuiam Christo Domino, lampadem suam, hoc est, conscientiam ornauerit, vacando per octo, aut decem dies spiritualibus exercitijs, meditationi, orationi, lectionique piorum librorum.

Ex

III.

EX Decreto Sacræ Rituum Congregationis non licet feria 5. maioris hebdomadæ plures vna Missas in singulis Ecclesijs celebrare: ex Synodali verò anni 1662. cautum insuper est, vt, quæ vna missa permittitur, in ijs tantùm Ecclesijs celebretur, in quibus hebdomadę sanctæ mysteria peraguntur: quæ rursus ibi solùm peragi possunt, vbi permittitur, Sanctissimam Eucharistiā asseruari. atque hęc omnia sanctissimè constituta inuiolabiliter obseruari volumus, stabilientes pœnam interdicti in terminis, quibus ibidem fertur, contra Ecclesiam, in qua istarum ordinationum trāsgressio facta fuerit. Sin autem in prædictum diem, festum Annunciationis Beatissimæ Virginis inciderit, vt pietati fidelium, & opportunitati consulatur, permittimus, pro eo anno in Ecclesijs seruantibus Sanctissimum Sacramentum duas Missas, alteram priuatam, solennem alteram, in alijs verò Ecclesijs vnam tantummodo priuatam celebrari.

IV.

VT pietati fidelium pro Missis Defunctorum certas eleemosynas constituentium, Sacerdotum, quibus celebrandi onus incumbit, par cura respondeat, decreuit Sacra Congregatio, vt onera Missarum celebrandarum exactè descripta in Sacrarijs Ecclesiarum publicè de tabella exponantur: cui piæ dispositioni nos inhęrentes, quodcunque in hac parte neglectum fuerit, emendari vehementer cupimus, vt, quod iustitiæ ratio erga datores eleemosynæ, & caritatis erga animas igne purgatorio cruciatas postulare videtur, missæ omnes constitutæ, fideliter celebrentur.

V.

IN Diœcesi nostra extra Vrbem, vt possint Parochi præsenti populo denunciare dies festos, & ieiunia, publicationes matrimoniales facere, atque alia ad ipsos spectantia munera exercere, congruum est, ne vllus Sacerdos, exceptis vindemiæ, ac messis temporibus, ante Missam Parochialem

lem, nisi post duas horas ab ortu solis in Ecclesijs, aut Oratorijs Confraternitatum celebret. Cùm verò in Parochia concio habetur, ne à Dei verbo diuertat populus, missæ pro eodem tempore non celebrentur: neque prò ijs celebrandis campanæ signum detur.

De Pœnitentiæ Sacramento.

I.

EX Decreto Sacri Concilij Tridentini nemo secularium, aut regularium Sacerdotum Ecclesias Parochiales non administrantium, absque approbatione Ordinarij potest cõfessiones Sęcularium accipere, eosque in Sacramentali foro absoluere, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Nos, vt quę tam sanctè decreta sunt, Sanctissimè seruentur, addimus in subsidium iuris carcerem formalem Sæcularibus, Regularibus verò excommunicationem iuxta mandatum Sacræ Congregationis super negotijs Episcoporum, & Regularium, declarantes eiusmodi confessiones sine nostra approbatione, excepto mortis articulo, factas, de iure nullas, & inualidas esse.

II.

PRo maiori decentia prouisum est, ne, seclusa necessitate, Sæcularibus siue viris, siue fœminis Sacramentum pœnitentiæ sine nostra licentia domi ministretur: quod Nos etiam in posterum seruari volumus, sub ijsdem pœnis, nempè inhabilitatis ipso facto ad alias confessiones deinceps audiendas pro Confessarijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus: pro Parochis verò suspensionis etiam ipsó facto à diuinis. excipimus tamen hinc Sacerdotes, quibus celebrandũ, aut Sacramentum aliquod ministrandum est, & in Ecclesia commodè confiteri nequeunt.

In-

III.

INtelligant Confessarij per Nos approbati, & approbandi, etiam nostræ Cathedralis Pœnitentiarij, quidquid sit de iure, speciali mandato, ac voluntate nostra ipsis absque expressa commissione à Nobis, aut à nostro Vicario Generali data non licere, absoluere quempiam à Censuris, nisi, audita integra confessione, absoluant etiam Sacramentaliter à peccatis; multò minus posse dimidiata confessione absoluere à reseruatis, quorum absolutio permissa ipsis fuerit, reijcientes ad alium simplicem Confessarium absolutionem à non reseruatis. si secus egerint, sine authoritate agent, & absolutiones à solis censuris, vel à solis reseruatis per ipsos collatæ, illicitè, & inualidè collatæ erunt.

IV.

COnfessarij omnes etiam Regulares, qui Infirmorum confessiones audierint, & eosdem iuxta Sacrorum Canonum regulas absoluerint, datæ absolutionis testimonium dent Parochis, vt cætera ipsis Sacramenta ministrari cōgruè possint, sub pœna Suspensionis ipso facto ab excipiendis in posterum confessionibus, donec examinentur.

De Casibus reseruatis.

CVm ex antiquo, & salutari more Ecclesię, præsertim ex Sacrosancti Tridentini Concilij Decreto locorum Ordinarij ad Christi Fideles in officio cōtinendos consueuerint atrociorum criminum absolutionem sibi reseruare, Nos pro ea, quam nostri gregis gerimus, cura, vt, quod possumus, eundem ab extremis animæ malis auertamus, appositos casus, censurasque ità Nobis reseruamus, vt nemini siue Sæcularium, siue Regularium Confessariorum etiam à Nobis approbato, vel approbando liceat ab ijs quempiam absoluere sine nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia, excepto mortis articulo iuxta Sacrorum Canonum dispositionem.

Casus Reseruati, quibus est annexa Excommunicatio.

1 OMnes Personæ, quæ vel per se, vel per alium de Sanctissimo Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, siue quacunque alia re consecrata ad veneficia, diuinationes, Sortilegia, aliosque illicitos vsus quomodolibet abutantur: quiue de prædictis ad prædictos fines aliquid alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu non sequuto, pœnam excommunicationis ipso facto incurrant.

2 Eandem pœnam excommunicationis incurrant omnes vtriusque sexus personæ, quæ dæmoni spondent obsequium, tus, & sacrificia offerunt, etiam sine errore intellectus. Insuper quæcunque siue suo, siue alterius nomine condunt, aut condere faciunt, imagines, anulos, aut quoduis aliud artefactum, in quo dæmonem constringant.

3 Item venefici, ac veneficæ omnes, necromantes, diuinatores, sortilegi, lamiæ, striges, seu quouis alio nomine nuncupentur ex vtroque sexu, qui cum expressa dęmonis inuocatione ad captandam dilectionem, aut odium concitandum, vtuntur incantationibus, alijsquè maleficijs in alterius damnum, siue etiam ligaturis à naturali, & legitimo matrimonij vsu coniuges auertunt.

4 In excommunicationem quoque ipso facto incidere eos volumus, qui absque nostra, aut nostri Vicarij licentia ad Monasteria Monialium, licet exempta, accedere præsumpserint ad colloquendum cum aliqua, vel cum aliquibus earum, etiam si sit nouitia, aut conuersa, aut quæ educationis, siue alterius rei causa ibidem commoretur, declarantes, quod, qui facultatem obtinuerint colloquēdi cum aliqua prædictarum, non possint data opera, & ex professo cum alijs colloqui. Qui verò cum aliqua ex prędictis in ijsdem Monasterijs commorante, vel coram ipsis ausi fuerint de rebus obscœnis per verba, aut actus impudicos præsentes agere, absentes verò per literas, aut internuncios, nec non viros, & mulieres siue intra, siue extra Mo-

Monasterij claustra degentes ; qui prædictas literas , vel mandara detulerint , omnes , & singuli sint ipso facto excommunicati .

5 Sint pariter excommunicati omnes in causa criminali, vel ciuili cum graui damno alterius falsum deponentes , aut deponendum curantes. præter hos Actuarij , Subactuarij , Notarij , Scribæ , qui cum alterius partis offensione , aut cum Reipubl. detrimento dolosè diminutam informationem capiunt , nec plenam testium depositionem scribunt .

6 Tum omnes Confessarij approbati, & approbandi etiam Parochi ad inhonesta personam quamcunque ex sibi cõfitentibus siue in actu confessionis , siue ante , vel post immediatè solicitantes , pœnam excommunicationis eo ipso incurrant .

7 Nec non tam laici , quàm clerici , qui contra dispositionem Sacrorum Canonum , clericos , quos nouerint , ad forum sæculare traxerint , etiam consentiente reo.

8 Quiuè etiam homicidia , mutilationesque membrorum in ipsis Ecclesijs patrauerint , excommunicationi subiaceant .

9 Eidem subiaceant omnes cuiusuis Religionis fœminæ, Bizochæ dictæ, deferentes, quod Vulgus vocat , subcannũ instar Monialium in Monasterijs degentium .

10 Tum etiam , qui, cuiuscunque conditionis personæ fuerint, libros in Ciuitatem introductos tradunt , aut traditos recipiunt : siue etiam de eadem Ciuitate extrahunt , priusquam à Deputatis fuerint recogniti . Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt , non exhibito prius prędictis Deputatis emptorum librorum catalogo , sententiam excommunicationis eo ipso incurrant , à qua tamen si quis transgressor de licẽtia nostra absoluendus erit , nunquam ab oluatur, quoad vsque libros sine prędictis requisitis introductos , aut emptos recognitioni non subiecerit .

Casus reseruati, quibus non est annexa Excommunicatio.

1 BLasphemantes Deum, uel B. Virginem ex peruersa consuetudine coram pluribus supra quatuor.

2 Exercentes peccatum Sodomiæ, vel cum Brutis coeũtes, ita tamen, vt in his, & sequentibus luxuriç casibus tantùm masculi comprehendantur.

3 Incestuosi in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, aut affinitatis.

4 Confessarij omnes, etiã Curati, ad obscœna quaslibet personas sibi confitentes, licet non immediatè post confessionem, inducentes, seu solicitantes.

5 Medici, qui visitantes in lecto infirmos, post tres dies à visitatione non curant certò scire, num prædicti infirmi peccata sua idoneo confessario confessi iam sint secundùm terminos Bullç Pij V.

6 Debitores quorumlibet piorum locorum, siue eorundem debitorum Administratores, si intra mensem etiam extraiudicialiter requisiti à Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum, redditus, & census non soluerint.

7 Non absoluantur Concubinarij, nisi, facta reali separatione & tori, & domus, per duos se menses continuerint: vel nisi certò, aut valde probabiliter constet, factos physicè, vel moraliter impotentes ad recidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.

8 Conficientes venena in hominum perniciem: eadem confecta apponentes, siue ad hoc quomodolibet cooperantes, etiam non sequuto effectu.

II.

DEclaramus, prædictis excommunicationibus exceptis, Nobisque vt supra reseruatis, Parochos, omnesque alios seu Sæculares, seu Regulares Sacerdotes à Nobis, vel à

Vicario nostro Generali approbatos, siue approbandos, audita integra confessione, absoluere posse ab omnibus alijs censuris, quæ per edicta, aut Synodales constitutiones, aut demum ex consuetudine Nobis, vel Ordinario loci, siue Archiepiscopo Neapolitano quouis modo reseruantur, quãuis specialem requirerent facultatem. Præterea declaramus, si cui in posterum à Nobis cõcedetur facultas absoluendi ab omnibus censuris, & casibus Nobis reseruatis, à collocutione cùm Monialibus, siue alijs vt supra in Monasterio degentibus, de rebus obscœnis, alijsque vt dictum est, actibus impudicis, nunquam intelligi concessam, nisi facta fuerit expressa mentio de ea. denique ante decimumquartum annum completum neminem censuris hisce, & casibus comprehendi volumus.

III.

NVllus Pœnitentiarius, etiam Pœnitentiariæ præbendam obtinens, qui ex speciali declaratione Sacræ Congregationis Conc. non aliter, quàm de nostro consensu aliqua, vel omnia Nobis reseruata absoluere potest, subdeleget alium quemcunque Sacerdotem, siue ad omnia, siue ad aliqua, siue ad vnum certum particulare reseruatum; hanc enim illis authoritatem penitùs interdicimus ita, vt contrarium agentes perinde se habeant, vt si respectiuè ad tales casus, & censuras reseruatas absoluendas non essent à Nobis approbati. facultatem verò aliàs datam, vt nimirùm Deputatus Pœnitentiariorum pro certis tantùmmodò diebus, & in nostra tantùm Cathedrali Ecclesia, vocatis in adiutorium Confessarijs, absolutionem à reseruatis possit committere, cum sic magis expediat in præsens, reuocamus, &, quoad oportuerit, specialiter abrogamus;

IV.

SI cui Sacerdoti seu Seculari, seu Regulari concessum à Nobis antehac fuit absoluere à censuris, & casibus nostra authoritate reseruatis, illam nunc reuocamus. hac tamen reuocatione non intelligimus comprehensos Pœnitentia-

rios in Metropolitana nostra ad nostrum beneplacitum deputatos, nec Parochos, quibus authoritatem dedimus in quosdam casus, nec alios Confessarios, qui de nostra concessione tres tantùm determinatos, prout in pagella, casus possunt absoluere.

De ordinatione Clericorum.

SI quando à nobis permittitur Episcopis conferre in hac nostra Ciuitate, aut Diœcesi ordines, non intelligatur permissum conferre hos ipsos in Oratorijs priuatis cõtra dispositionem Cæremonialis Romani: neque contra speciale ius nostrum in Ecclesijs Monialium; in huiusmodi verò locis promoti ab executione ordinum sint ipso facto suspensi.

De extrema Vnctione.

EXtremam Vnctionem à IESV Christo animabus, corporibusque curandis salubriter institutam, quemadmodũ damnanda incuria est, sic in extremum morbi differre, vt infirmus omninò sensibus destitutus, sanctæ illius Vnctionis donum nec agnoscat, nec ad vberiorem eius efficaciam experiendam se congruè disponat: ita non est laudanda solertia, eius administrationem sic accelerare, vt statim post Sacratissimum Viaticum, nullo vrgente periculo, conferatur: quod tamen à nostris Parochis tædio sæpius eodem recurrẽdi non raro factum, & in præsens fieri passim accepimus. ergò ijsdem, eorundemque Administris nunc mandamus, ne citra casum necessitatis Viaticum, extremamque Vnctionem eidem ægroto vnitim conferant, sed pro ingrauescentis morbi qualitate iustum tempus inter vnum, & alterum Sacramentum transire sinant: vt æger morti proximus idẽtidem ab Ecclesia matre confortatus, nouis auxilijs contra noua pericula muniatur.

De

I.

SOlennes denunciationes futurorum coniugum à Tridentino speciali iure requisitas, & pro conditione rei adeo necessarias contingit aliquando aut non fieri, aut non fieri legitimas cum illo grauissimo incommodo, quod nuptię à canonicè impeditis celebrentur. ideo vigilantiam nostrorum Prędecessorum insistentes, Parochis, alijsue ad matrimonia accipienda substitutis præcipimus, vt diligentissimè perquirant, num præcesserint legitimę denunciationes, secundùm formã præsertim expressam in Synodo anno 1644. celebrata; & secundùm hanc denuo mandamus, ne denunciationes matrimoniales fiant in Parochia, ad quam futuri coniuges accessere, sed in priori, quam reliquerint, nisi forte reliquerint iam eam per quatuor menses, vna tantum excepta, quæ facienda est in Parochia, intra cuius fines, quo tempore contrahere debent, habitare deprehenduntur.

II.

PRæfatæ denunciationes, vbicunque fiunt, saluo quoad fides Parochiali iure, gratis fiant, ita vt neque Parochis, neque eorum Adiutoribus, aut Substitutis quidpiam seu directè, seu indirectè pro eiusmodi publicationibus accipere liceat, renouatis in ipsos contrauenientes pœnis alibi constitutis; vt remota omni suspicione cupiditatis videant populi, gratis nos dare, quod gratis accipimus.

III.

AD celebrandum conuenienti ritu hoc Sacramentum spectat, ne, quod parum decens est, in priuatis ædibus fiat: ne fiat de nocte, data iam vicesima quarta: ne Sponsi sub Baldachino positi benedicantur: quę omnia, ne eorum obseruantia ipsa vetustate labatur, renouato à Nobis iure, instaurantur.

IV.

NE culpa contrahentium, gratia vacuum hoc Sacramẽtum recipiatur, moneantur à Parochis Sponsi opportunè, vt, quod minimum, accedant ad contrahendum contriti: si fieri potest, etiam confessi, ne si secus, mortali aliquo peccato occupati, gratiæ, quam essent accepturi, obicem ponant.

V.

QVę mulier post partum iuxta piam, ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam pro sua incolumitate Deo gratias actura, & à Sacerdote benedictionem petitura venire voluerit, iuxta nostræ diœcesis consuetudinem, & maiorem aliquam æquitatem curet, ne id faciat extra propriam Parochiam, & ne ab alio, quàm à proprio Sacerdote benedicatur.

VI.

QVamuis excommunicatio, & absolutionis reseruatio cõtra Sponsos, qui ante matrimonium legitimè contractum Sponsas turpiter cognoscunt, abrogato veteri iure, relaxata olim benigniter in Synodali quadam constitutione fuerit; tamen quia videmus peruersos homines hac indulgentia abusos fuisse, & in dies abuti, sub specie, ac spe matrimonij re ipsa concubinatum exercentes, Nos de maturo consilio casum hunc ad terminos antiqui iuris ex nostra potestate reuocantes, declaramus, Sponsos, si ante nuptias rite celebratas actu Sponsas carnaliter cognouerint, excõmunicationem Nobis reseruatam ipso facto incurrere.

De Exorcismis.

I.

AVdent etiam nunc aliqui Sacerdotes tam Sęculares, quàm Regulares exorcizare energumenos, non accepta

pta à nobis facultate, cum tamen eam facultatem iura requirant. mandamus ergò iterum hac ipsa constitutione, vt ab eo munere demum se abstineant, incursuri, Sacerdotes Sæculares suspensionem à diuinis ipso facto: Regulares priuationem iurisdictionis ad excipiendas confessiones, si fuerint de approbatis, aliasque arbitrio nostro.

II.

REuocamus omnes, & quascunque licentias ad exorcizandum siue à Nobis, siue à Prædecessore nostro tàm Secularibus, quàm Regularibus Sacerdotibus datas, Nobisque easdem pro concessione in posterum reseruamus. quandocunque autem deinceps concedentur, nunquam intelligatur concessum, vt exorcismi fiant domi, nisi hoc ipsum in licentia nostra exprimatur.

De Cæremonijs, ac Ritibus Ecclesiasticis.

I.

SAcra Rituum Congregatio coram felic. rec. Alexandro Papa VII. habita, ad tollendos, eliminandosquè abusus, qui in ritus Ecclesiasticos irrepserunt, multa quoad Pōtificalia Prælatis Episcopo inferioribus concessa opportunè decreuit. quoniam verò plenam eorum obseruantiam etiā nunc aliqui de exemptis, superiorem sua ipsorum dignitatē affectantibus, adhuc negligunt, & falso priuilegiorum obtentu, eorundem priuilegiorum limites transire præsumunt: nouerint præfati quicunque, vsuros Nos aduersus ipsorum contumaciam ea authoritate, quam Nobis sedes Apostolica in his casibus indulget, ita vt ipsos, quatenus opus fuerit, etiam per censuras compellamus.

II.

MInores aliqui Sacerdotes non habentes vsum mitræ, & baculi, neque alio Sedis Apostolicæ priuilegio suffulti,

ti, contra dispositionem Rubricarum, digitis anulos gestates missam celebrant: quem prauum ritum aboleri omninò cupientes, contra eos Sacerdotes, qui sic celebrant, ac Æditu‍os, qui sic celebrare permittunt, pœnam sex aureorum in pios vsus pro quauis vice soluendorum, & ampliùs anulorum amissionem pro domino, præsenti constitutione decernimus.

III.

CONtradicit illud expressè Rubricis, quod in missis priuatis communione, & ablutione peracta, tergere calicem, corporale plicare, velum extendere, aliaue talia fiant ab alio, quàm à celebrante. igitur non est tolerandus contrarius abusus, vt hęc ipsa faciat simplex minister, Sacerdote interea missam prosequente.

IV.

POena suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda cautum iam fuit, ne homines in Sacris constituti, ac proprijs induti insignibus inter missarum, aut vesperarum solennia laicos, siue hi Ecclesiarum, siue locorum Gubernatores sunt, sacrisquè intersint, ipsi turificent. cum tamen ista in quibusdam ecclesijs negligantur, & ex altera parte multùm deceat, tale obsequium in re diuina ab homine consecrato hominem laicum accipere, tam constitutionem, quàm annexam constitutioni pœnam ita approbamus, vt velimus ex suo, aut si fuerit opus, nouo etiam vigore persistere, declarantes prædictarum personarum turificationem ad Acolythos, aliumue de clericis non initiatis sacro ordine pertinere, atque ab his tantùm exhiberi posse.

V.

CÆremoniali Romano prorsus aduersatur, clauiculā capsulæ, in qua die Cœnæ Domini Sacratissimum Christi corpus reponitur, à laicis hominibus retineri. iure igitur Prædecessores nostri hoc sæpius prohibuerunt: & Nos quoq;

in

in præsentia prohibemus, cùm valdè dedeceat à non sanctis sancta seruari. itaque in quauis Ecclesia etiam Monialium, reposito iam Sacramento, tradatur statim clauicula celebranti, aut æditio Sacerdoti, non obstante quauis consuetudine in contrarium. secus verò tam dantes, quàm accipientes, ac oblatam retinentes in excommunicationem de pristino iure incidant ipso facto: & Ecclesiæ sine alia declaratione interdicto subiaceant.

VI.

QVi pœnitentiæ habitum induunt (vt fieri solet in maiori hebdomada) ne alienum ab eo, quo ecclesia pro his causis vtitur, ferant, excommunicatione ipso facto incurrenda, cautum est: quam nos censuram, ne salutaria Christianæ disciplinæ remedia in nouam peccandi licentiam conuertantur, in suo robore perpetuò mansuram nostra etiam authoritate roboramus: & quod aliàs præceptum fuit, vt videlicet per eandem maiorem hebdomadam, pro paribus causis linea tantùm vestis vsque talos demissa, nulloque opere ornata, quod illi tempori valdè congruit, adhibeatur, Nos quoque præcipimus.

De Musico cantu.

I.

DVm missæ, aut sacra officia celebrantur, vbicunque ea celebrantur, caueatur omninò, ne fiant cantus irreligiosi, & parum pij. quicunque transgressores extiterint, aliena ab ecclesiastico modo, ac ritu, cum diuina peraguntur, canere præsumentes, in sententiam se excommunicationis, Ecclesias verò interdicti nouerint incurrisse.

II.

QVo præsertim tempore diuina Hostia extra tabernaculum est, quamuis nulla interim sacra peragātur, quod sacra-

sacrá Rituum Congregatio in vna sua speciali anni 1603. etiã Regularibus prohibuit, Nos quoque sanctissimis eiusdem placitis insistentes, nunc seuerissimè prohibemus, cani cantiunculas aut non de re sacra, aut ipsas non sacras, multò magis vernacula lingua compositas, quantumuis sub ipsa vmbella velo aliquo sacra Hostia occultetur. itaque sic canentes coram exposito, vt dictum est, Sacramento, pro quocunque tempore, & loco id attentauerint, sint ipsi, vt supra, excommunicatione innodati: locus verò interdicto suppositus.

III.

AD eam, quæ Ecclesijs, & Ecclesiasticis actionibus reuerẽtia debetur, magnopere spectat, vt in his ipsis locis, ac pro eodem tempore: non solùm honesti cantus, verùm etiam ab honestis Cantoribus fiant. nolumus ergo, vt homines in publicis Comœdiarum, aliarumque fabularum repræsentationibus histrionum more canentes, in Ecclesijs deinde inter Ecclesiasticas functiones, ac solennitates canere audeant. si tamen eorum aliquis ausus fuerit canere contra vetitum in prædictis locis, ac temporibus, excommunicationi illum ipso iure, Ecclesias interdicto subijcimus.

De Reuerentia Ecclesijs, & rebus sacris debita.

I.

VT ne Ecclesiæ, quæ domus orationis sunt, latronum speluncæ fiant, videndum cum omni cura est earundem Ecclesiarum Præpositis, quos zelus domus Dei comedat, oportet, vt iuxta fel. Rec. Alexandri Papę VII. decretum hac de re editum, vitentur in ijs immoderatæ confabulationes, soluti risus, indecoræ deambulationes, omnisque actus eo loco, qui porta cœli est, & aula Dei, omnino indignus: præsertim si Sanctissimum Sacramentum expositum adoratur.

Plu-

II.

PLuribus decretis Synodalibus statutum est, excommunicationem latæ sententiæ Nobis reseruatam incurrere, quicunque eo præsertim tempore, quo adorabile Sacramētum in altari expositum est, omni debita religione, cultuque posthabito, clamores, ac tumultus agunt: aut homicidia patrant: aut membra mutilant: aut demum verberant; seu quomodolibet alios grauiter offendunt. tum facta ampliatio ad omnes, qui hæc eadem in atrijs Ecclesię facere non verentur: nec non ad eos, qui, quo tempore Sanctissimum Sacramentum per Vrbem fertur, in locis, per quæ fertur, tumultus huiusmodi, & rixas committunt; quam Nos sanctissimam constitutionem, eiusque ampliationem, vt suus religioni honor à fidelibus habeatur, quoad omnia, & singula hic expressa confirmamus, &, vt vigorem in perpetuum habeat, omninò mandamus.

III.

IN quibusdam Ecclesijs vesperarum, aliarumque Ecclesiasticarum solennitatum tempus ita extenditur, vt in multam noctem eædem Ecclesię ingredientibus, & egredientibus pateant; quod pluribus scandalis facere occasionem potest. ideò præcipimus omnibus, ac singulis tam sæculariū, quàm regularium Ecclesiarum Rectoribus, ne propter celebritatem vllam, aut vllum Populi concursum vltra vicesimam quartam suas Ecclesias patere sinant: sed ita sacras functiones temperent, vt ea hora data Populus dimittatur, & Ecclesię claudantur, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis.

IV.

SAncta sanctè habenda. idcircò sacram supellectilem, inprimis eam, quæ proximè diuinorum officiorum vsui destinatur, aptare profanis vsibus sacrilegum est. igitur nemo Ecclesiasticam vestem Sacrificio, alijsquè sacris actionibus deputatam det alicui laicorum in scenicis, alijsque profanis ipsorum actionibus deferendam cum graui contemptu religionis. Cle-

V.

CLerici minores vestes Sacris Ordinibus deputatas ne in ipsis quidem Ecclesijs ad functiones etiam Ecclesiasticas induant, sub pœnis à nostris Diœcesanis Synodis secundùm dispositionem canonum multo ante constitutis,& nũc, quatenus opus fuerit, speciali constitutione nostra renouatis,

De Processionibus.

I.

QVicunque in solennitate Corporis Christi, imò & in quacunque alia per annum, Processionem, quæ à nostra Cathedrali Ecclesia egreditur, comitari tenentur, intelligant, suæ obligationi non satisfacturos, nisi actione absoluta ad eandem Cathedralem similiter procedẽtes redierint. emendatum ergò volumus indecorum, & irreuerentem quemcunque morem è contrario inductum laxandi ordines, locumquè deserendi: vt insignem Domini caritatẽ, qua domos, plateasquè nostras iterum benefaciendo pertrãsit, frequenti nos, constantiquè vsque in finem obsequio prosequamur.

II.

SAcras Processiones, quæ in eadem Corporis Christi solennitate per totam octauam quotidie in hac nostra Ciuitate ex laudabili consuetudine à quàm pluribus Ecclesijs celebrantur, & commendamus, &, vt, qua maiori potest ecclesiastica pōpa fiant, meritò cohortamur. Ad maiorẽ tamẽ decentiã obseruetur Synodalis cōstitutio, ne de prandio fiant, exceptis Ecclesijs, quibus aliter Apostolico priuilegio indultum est; in cuius perpetui præcepti subsidium pœnas ab eadem constitutione latas aduersus inobedientes quoscunq; renouamus, approbantes insuper iuris ampliationem ad quẽcunque alium diem, ita vt nunquam sine expressa licentia no-

noſtra, & in ſcriptis obtinenda liceat poſt prandium tales proceſſiones inſtituere. Locus etiam, qui deferendo Sacratiſſimo Chriſti Corpori in huiuſmodi Proceſſionibus preſcribitur, (& eſſe debet, qui vniuſcuiuſque Parochiæ fines claudit) ad omnia iurgiorum ſeminaria tollenda conſtanter teneatur.

III.

QVandocunque tamen hę proceſſiones, aliæue ſupplicationes publicæ celebrantur, qui interſunt, & ipſas de more eccleſiaſtico bini inuicem aſſociati producunt, curent procedentes, ad eam ſe grauitatem, modeſtiam, iuſtûquè ordinem componere, ſicuti maximoperè illôs decet, qui Deo, Angelis, & Hominibus facti ſpectaculum ſunt.

IV.

CVm venerabile Sacramẽtum in proceſſione ſolenni deportatur, nemo in eodem loco, per quem deportatur ſclopos, mortariola, aut alia id genus ignea inſtrumenta diſplodat: quoad in competenti diſtantia tranſactum non iam fuerit Baldachinum.

V.

PArochis ad proceſſiones ex ſuo munere interuenientibus, ne interea repentino aliquo caſu ingruente, Chriſti fideles neceſſarijs animæ auxilijs in extremo periculo deſtituantur, permittimus, vt pro temporis, ac rei neceſſitate, quoadusque à Parochia ob cauſam prędictam tantùm abfuerint, ſubſtituant aliquem alium Sacerdotem idoneum, & approbatum, qui, quæ Sacramenta differri ſine graui periculo nequeunt, debitè adminiſtret.

De

I.

CHristiana pietas in Defunctorum corporibus humandis semper eluxit. cum ergò contingat decedere pauperes, quibus sepeliendis nulla sit ratio pecuniæ, atque hinc vltra contingat, multos dies remanere inhumatos: quod quidem humanæ, multò magis Christianæ caritati alienum est, laudamus quàm maximè sanctum huius Ecclesiæ ritũ gratis sepeliendi pauperum cadauera, qui tamen ne fortè interrumpatur contrario ritu, sub eadem, qua Prædecessor noster, pœna suspensionis à diuinis, centumquè librarum ceræ elaboratę ad pios vsus, Parochis, Rectoribus, Cappellanis, Cellararijs, Confratribus quarumcunque Ecclesiarũ nostræ Ciuitatis, & Diœcesis, omnibusque alijs, ad quos spectat ius funerandi, præcipimus, vt statim ac rescierint de tali cuiuspiam pauperis transitu, perquisitamquè à testibus fide dignis eius paupertatem, veram eam deprehenderint, nulla mora interposita, gratis, proprijsquè expensis funus celebrare teneantur.

II.

IN funeralibus exigendis seruentur taxæ constitutæ, & supra illas nihil accipere liceat. quare vt omnis locus scãdalis, & iusta occasio querelarum tollatur, Synodales sanctiones parochialia iura taxãtes firmas, & fixas esse volumus, renouantes eas, &, si necesse sit, ordinaria potestate nostra roborantes. sin autem Regulares ipsi, apud quos electa à defuncto sepultura fuit, summam aliquam pro funeralibus exorbitantem tentauerint extorquere, recurratur ad Nos, aut Vicarium nostrum Generalem, vt prouideatur de loco sepulturæ; nàm Regulares sua illa excedente petitione censebuntur cadauer recusare.

III.

NEmini liceat, cuiuſcunque conditionis, ac ſtatus ille ſit, abſque facultate à Nobis impetrata efferre ad eccleſiaſticam ſepulturam cadauera curru, lectica, ſella alioue quouis modo Eccleſię inſueto: neque vllis Eccleſiarum Præfectis ea ſic elata liceat accipere: quod etſi ſæpius decretis Synodalibus cautum ſit, ne in obliuionem, aut deſuetudinem abeat, cauetur iterum ſub iiſdem pœnis, videlicet excommunicationis latæ ſententiæ in deferentes, ſolutionis centum aureorum pijs locis in recipientes, ſi fuerint Eccleſiaſticæ conditionis: ſi ſæcularis, eiuſdem, vt ſupra excommunicationis: ipſæ verò eccleſiæ, in quibus recipiuntur, etiam ſi ſint Regularium, interdicto ſupponantur.

IV.

NOn efferatur per Vrbem defuncti corpus, neque reliqua funeralia celebrentur ſine aſſiſtentia proprij Parochi, niſi forte acceſſerit ad ea Capitulum noſtræ Metropolitanæ: aliter Præsbyteri, qui abſente Parocho, nec noſtro Capitulo præſente exequias duxerint, ſeu funeralia celebrauerint, centum aureos ad vſus pios in mulctam ſoluant.

V.

CAdauera ſecundùm vetus ſtatutum non efferantur de nocte, à Canonicis quidem Cathedralis noſtræ ſine noſtra licentia: ab inferioribus verò ſine licentia Vicarij noſtri Generalis ſub pœnis pecuniarijs iam ſtatutis, aliiſquè de arbitrio noſtro ſtatuendis. Item ne ſepulcra reſerata mortiferis halitibus populo præſenti ſacris noceant: tum etiam ne Presbyteri prò eo tempore, quo ſunt magis neceſſarij, deſtituant Eccleſias, vetamus Parochis, & Cellararijs omnibus, exequias in diebus feſtis ante prandium celebrare.

I.

LIberum omninò fidelibus est, vbicunque magis maluerint, sepulturas eligere. caueant proinde ecclesiarum Rectores, & Parochi eorum voluntates alibi de sepultura disponentium impedire, aut pro executione sub pretextu licentiæ quidquam præter consueta iura Parochialia exigere, renouatis in transgressores pœnis centum librarum factæ ceræ in pios vsus, alijsquè arbitrio nostro reseruaris.

II.

ECclesia in sepulturam electa recusante, priusquam Parochia ius funerandi acquirat, probet, admittatquè oppositionem, seu recusationem curia nostra; ea verò probata, & admissa, nihil præter consueta iura parochialia de nouo illo funere exigatur.

III.

SI fortè contingat, aliquem non translato penitùs domicilio extra propriam Parochiam, nullis in aliena Sacramẽtis receptis de repente mori, iura parochialia (quod ad præcidendas lites olim declaratum fuit) illi parochiæ, intra cuius fines est Ecclesia in sepulturam electa, soluantur. non facta autem electione sepulturæ soluantur Capitulo nostro, & Canonicis iuxta vetustam, & immemorabilem consuetudinem. sed receptis omnibus, vel aliquibus Sacramentis in Parochia habitationis, vbi mors obita est, pro iurium parochialium solutione consuetudo seruetur.

IV.

PRo humatione cadauerum perfodi, scindiquè ecclesiarũ pauimenta, non sinatur: sinentes si fuerint de ecclesiasticis, soluant locis pijs centum aureos; si de laicis, ecclesia interdicto subiaceat.

Plu-

V.

PLuribus ex hac incuria incommodis prouenientibus cõsulturi, Parochis sedulò mandamus, vt describant, aut describenda curent in libro defunctorum nomina, & familiam etiam infantium, quacunque ij ætate decesserint.

De bonis Ecclesiasticis, & *Iuribus*.

I.

ETsi per Sacros Canones prouisum abunde fuerit, ne Ecclesiarum, hoc est, Christi bona, seu stabilia, seu mobilia pretiosa, iura, & actiones à laicis, sub quorum illæ administratione sunt, vlla de causa alienentur; tamen quia resciuimus, hoc non obstante, istorum aliquos inconsulta curia nostra alienare res huiusmodi, excusantes tenuitatem alienatæ rei, præsenti hac nostra ordinatione in perpetuum valitura decernimus, nemini eorum licere ex se, & propria authoritate prædicta bona quamlibet modicæ æstimationis, atque valoris quomodolibet alienare, sub pœnis nostro arbitrio reseruatis, declarantes, huiusmodi venditiones, trãslationes, aut donationes, quippè nullo iure, ac titulo fundatas, nullas, atque irritas esse.

II.

QVoniam in permutanda forma rerum, quas fideles dono dant Ecclesijs, vel offerentium piæ voluntati contraire, vel ex inæquali substitutione fraudari oblatorũ pretium solet, Nos vtrique simul incommodo occurrere volentes, strictè prohibemus, ex bonis, quæ cum nostra licentia alienari possunt, sine hac in alteram formam ab Ecclesiarum Rectoribus commutari.

III.

REctores Ecclesiarum, Sacristæ, alijque, sub quorum administratione, & cura illæ sunt, meminerint in Synodo anni 1652. iniunctum fuisse ipsis, vt habita notitia cuiuspiam sacelli, aut sepulcri absque licentia quoad ius, & proprietatem venditi, ad nostram statim curiam denuncient: quod ipsum ne eorum memoria, aut suo vigore excidat, denuo ipsis iniungitur, & sub pœna ibidem constituta seriò mandatur. Domini vero sacellorum, sepulcrorumquè sciãt, tales res esse sacras, nullumquè propterea in ipsis esse ius eas alienandi: quare quoties proprio ausu eas alienare præsumpserint, contra Sacros Canones nouerint egisse se, & effectu alienationis secuto ex Synodali iure excommunicationem ipso facto incurrisse.

IV.

ADuersus alienantes, aut oppignerantes sine licentia Ordinarij res diuino cultui mancipatas, atque alia ecclesiarum bona mobilia pretiosa, ex quauis vera, aut præsumpta necessitate id egerint, Prædecessores nostri pœnam excommunicationis irrogarunt. sed tamen cum non desint, qui nouarum obtentu causarum tam prouidam, vtilẽquè rebus ecclesiasticis constitutionem contrarijs transgressionibus labefactare conantur, Nos quoquè eorundem bonorum incolumitati prospicientes, istos ipsos tanquã Christi patrimonij dissipatores, & malos villicos excommunicationi, alijsquè, vt Nobis videbitur, pœnis eadem authoritate subijcimus.

De Immunitate Ecclesiastica.

I.

ECclesiasticos, vtpotè homines de sua ipsorum institutione Deo, Deique cultui specialiter segregatos, iura tam diuina, quàm humana sæculi potestati, ac ditioni penitùs

exi-

eximunt. quapropter iure optimo, qui neque Deum, neque homines veriti in sanctos Domino temerarias manus inijciunt, eosquè ad sæculare forum trahunt, tanquam filios cōtra Matrem pugnantes à sinu suo semper abiecit Ecclesia. vt igitur Christi Sanguine redempti, eos, per quorum manus idem Sanguis ad æternam vitam ipsis impenditur, & qui pupillæ Domini sunt, tangere abstineant, meminerint, Iudices quidem trahentes ecclesiasticos ad sæculare Tribunal in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ, Summo Pontifici reseruatam eos incurrere; alij verò quicūquè etiam si Ecclesiastici extiterint, idem in casibus à iure non exceptis præsumentes, in excommunicationem Synodali iure sępius latam incidere ipso facto.

De Vita, & Honestate Clericorum.

I.

CLericali statu à sæculari statu multùm distante, consequens est, clericorum mores à moribus Sæcularium multùm pariter distare. cum igitur acceperimus, non deesse clericos tam immemores conditionis suæ, qui tabernas lusorias,& publica comicorum theatra immixti laicis cum ingenti scandalo, & proprij status infamia, adeunt: Nos tātę licentiæ strenuè obuiam ire volentes, statuimus, eos in prædictis locis etsi non inflagranti deprehensos, sed idoneis tantùm testibus de accessu, præsentiaquè conuictos subijcere, vti iam tenore pręsentis huius ordinationis subijcimus, ijsdem pœnis, quibus si fuissent in his ipsis infamibus locis deprehensi, ipso iure subijcerentur.

II.

PEruenit item ad nostras aures, aliquos de clero in tantam incurrisse impudentiam, vt non puduerit, alios per Vrbē inter Bacchanalia personatos incedere, alios vagari noctu musica instrumenta pulsantes, canentesquè cantilenas, quas vulgo nuncupant *Mattinate*, e *Serenate*. eam Nos temeritatę

vehementer execrantes, si posthac vnus aliquis de nostro clericali ordine in his ludicris deprehensus, aut per legitimos testes conuictus fuerit, operam ijs dedisse, pœna Nobis arbitraria seuerè mulctabitur. volumus autem decretum hoc extendi ad illos quoque, qui quamuis non pulsauerint, aut cecinerint ipsi, alios tamen pulsantes, aut canentes pro eodem tempore, ac modo associauerint.

III.

VEstium immoderatio quoscunquè, maximè autem ecclesiasticos dedecet, ne inanibus hisce tricis indignè occupati, minus cogitent, quæ Domini sunt. itaque videntes, aliquos clericalis status ab ea, quę ipsorum est, modestia declinare, & propriam ordinis grauitatem oblitos, quærere ornamenta egrè in filijs tenebrarum tolerata, seriò ijsdem indicimus, vt à superfluis huiusmodi vestium munditijs penitùs abstineant: & nominatim prohibemus modernum abusum tæniolarum holosericarum, vt aiunt, *fettuccie*, à manuum collo pendentium, idquè ante alios Sacerdotibus, qui in Sacrificio benedicentes, vbi dexteram ad crucem exprimendam adducunt, & reducunt pendulis hisce lingularum tractibus oblata cum irreuerentia contingunt.

IV.

SAcerdotalem authoritatem Sacerdotès aliqui nihili habētes, &, quod B. Petrus regale vocauit, ipsi seruile Sacerdotium facientes, cum incredibili conculcatione ecclesiasticæ dignitatis, quam Christus Dominus tanquam dignissimæ Sponsę suę dotem supra quamcunque sæcularem euexit, non verentur filij lucis filijs huius sæculi vsque ad vilissima quæque turpis lucri gratia famulari: & magisterij, agentiæ aut cappellaniæ prętexu famulos reuera agere, cum famulis versari, & famulorum ritu matronas publicè deducere, brachium dare, etiam pedites post currum ipsa inter mancipia sequi. sed cum ex Redemptoris Nostri oraculo duobus Dominis seruire nemo possit, quandoquidem temporali adhęrere, & inter priuata familiarum seruitia censeri malunt, quo-

usq;

usque ista eos facere non puduerit, Nos certiores de indecēti famulatu facti, veluti ministros indignos ministerio suo, suspensione à sacris quamprimùm inducenda, ab altaris, æterniquè Domini famulatu depulsos ipsos, nisi resipuerint, sententia nostra declarabimus.

De Sacerdotibus, & Clericis Confratribus.

I.

SAcerdotum, & Clericorum Confratrum in corporibus fidelium humandis indecens per vias procedendi modus, euntium, & redeuntium clamor, & nimia aliquando lucri cupiditas cunctos Ecclesiasticos dedecorat. Nos ipsorum disciplinæ, bonoquè omnium ecclesiasticorum nomini respicientes, præsenti hac nostra constitutione, quæcunque, à Prædecessoribus, maximè in libello de hac re edito, pœnis appositis iniuncta sunt, denuo iniungimus, & renouamus, monentes eiusmodi confratres, vt in publicis istis functionibus defunctorum modestè, ac moderatè quo ad omnia, maximè per viam procedentes se gerant, caueantquè hoc ipso tēpore de distributionibus inter se loqui, aut, quod peius est, rixari, ne totius Cleri, cuius sūt vna portio, dignitatem turpiter maculent: & non mediocri scandalo spectatori populo fiant, cui extremum illum vitæ nostræ actum ob oculos ponentes, deberent esse saluti.

II.

SOlent ijdem Confratres, superpelliceis induti, pileolumque clericalem gestantes, cauponas, aliasquè publicas vendentium tabernas ingredi, aut per Vrbem negotiorum suorum causa ante, vel post officium peractum vagari; vndè consequitur, sacrum illum habitum, & ipsum ecclesiasticū ordinem apud Christianum populum incredibiliter vilescere. vt igitur tanta indecentia prorsus corrigatur, iubemus, neminem eorum, siue alium quemcunquè clericum talibus indutum insignibus prędicta loca ingredi, aut per Vrbem

inutiliter vagari, pœnam transgressoribus statuentes 50. librarum ceræ factæ pro locis pijs.

III.

CEllararij pro funeralibus peragendis supra Confratrum numerum non admittant, nisi in sacris, vel notoriè in minoribus, aut saltem in prima tonsura constitutos. admittentes decem aureorum pro pijs vsibus pœnam dent, & toto integro mense suspensionem à diuinis ferant.

IV.

IIdem cellariatum ne exerceant vltra annum: nec anno exacto confirmentur sine nostra scripta licentia, & omnium suffragio, sub pœna quinquaginta aureorum in confirmatos, & centum in confirmantes ad pios vsus: quod in omnibus ecclesijs, collegiisquè, etiam in nostra Cathedrali à RR. Canonicis, Hebdomadariis, & Mansionariis eiusdem sub prædictis pœnis, & insuper nullitatis electionis contra hoc decretum factę, omnino seruetur.

V.

SVspensione à diuinis irrogata, vetamus Hebdomadariis, & Clericis Cōfratribus cuiusuis ecclesię subiectæ Nobis substituere, & distributionum participes haberi, quamuis de facto substituant: nisi speciale ius substituendi ab Apostolica sede impetrauerint, aut fuerint alitèr legitimè impediti. Cellararii verò, qui nec substituendi ius impetratum, nec legitimum impedimentum habentes participes faciunt, sex aureos toties, quoties faciunt, soluant locis piis.

De

De armorum vſu Clericis prohibito.

I.

VSus armorum prohibitorum quantam Clericis indecẽtiam, & quantam atrocibus delictis occaſionem offerat, & videre Prædeceſſores noſtri, & Nos etiam probè videmus. quapropter iuris remedia de ipſorum exemplo adhibẽtes, precipimus, ne quis in poſterum audeat aſportare, ſeu ſibi aſportare facere, nec itineris cauſa, arma etiam laicis prohibita, videlicet quę vulgus dicit, *Archibugetti minori di tre palmi, piſtoni, pugnali, ſtilletti, coltelli lunghi, o à fronda d'oliua, ò alla genoueſe* ſub pœna relegationis per quinquenniũ pro nobilibus, pro cæteris verò triremium per idem tempus. volumus autem his pœnis cõprehendi etiam viceſimo quinto anno minores, dummodo viceſimum annum exceſſerint: qui verò infra viceſimum extiterint, pœnis arbitrio noſtro mulctentur. Qui præter hæc aſportauerint, aſportariue ſibi fecerint arma tam offenſiua, quàm defenſiua, *Archibugi maggiori di tre palmi, ò à ruota, ò à miccio, ſpade, mezze ſpade, cortelle*, aliaue id genus licet viceſimo quinto anno minores, maiores tamen viceſimo pœnam carceris formalis per annũ, & ipſorum armorum iacturam incurrant. minores verò viceſimo & eorundem armorum iactura, & aliis arbitrio noſtro pœnis puniantur. Qui demum ex prędictis armorum generibus, ea, quæ *di fuoco* appellantur, penes ſe domi retinuerint, cuiuſcunque ętatis fuerint, aut conditionis, eandem vt ſupra iacturam armorum, aliaſque pœnas Nobis arbitrarias ferant. Atque ad huius conſtitutionis, & ſtatuti certos terminos reuocamus, quæ variis Synodalibus decretis, aut ex hac noſtra curia edictis emanatis contra Clericos vtentes armis ſibi prohibitis ſtatuta ſunt, reſpectiuè ampliantes, aut reſtringentes, aut derogantes, quod noſtræ huic voluntati, mandato, atque in perpetuum valituro precepto ſiue ex toto, ſiue ex parte repugnare videatur.

De

I.

MEminerint Regulares, processiones extra claustra non obtenta Ordinarij licentia ipsis esse prohibitas: qua de causa, nisi speciale aliquid Sedis Apostolicæ priuilegium suffragetur, caueant id suo iure attentare. nulli tamen siue ij Regulares, siue non Regulares extiterint, processionibus, quas quauis de causa, Nobis vt supra consentiẽtibus; peragere eos licebit, lætitiæ, aut maioris celebritatis ergo, profanis sacra miscentes, actiones scenicas, etiam sacras, aliosue lusus interserere audeant, sub pœna interdicti pro Regularibus, pro Sæcularibus ad nostrum arbitrium.

II.

MOnemus eosdem Regulares, vt iuxta Sacrę Congregationis decreta prorsus abstineant ab ingerendo se quouis in munere, quod propriè ad Parochos spectat, nominatim in benedictionibus, alijsue huiusmodi Ecclesiasticis functionibus, quas Rituale Romanum curam animarum habentibus faciendas ritè præscribit.

III.

CIrca prætensas facultates DD. Abbatis S. Antonij Viennensis seruentur declarationes Sac. Cõgregationis Cõcilij editæ ad instantiam nostram in vna Neapolitana Iurisdictionis, cuius exemplar ad perpetuam rei memoriam hoc loco subijcitur.

Infrascriptas dubitationes circa prætensas facultates, & iurisdictionem Abbatis Commendatarij S.Antonij Viennẽnensis nuncupati Ciuitatis Neapolis ab hac sacra Congregatione definiri supplicauit Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus, videlicet.

An liceat dicto Abbati dimissorias suis pretensis subditis sæcularibus concedere: ita vt illas obtinentes tam minores, quàm

quàm ſacros ordines ſuſcipere, vel reſpectiuè in ordinibus ſuſceptis miniſtrare licitè valeant?

Quatenus non liceat: an ſaltem ad effectus præmiſſos requirantur eiuſdem Abbatis literæ teſtimoniales.

An Clerici, ſeu Præsbyteri ſæculares, qui obtinent ab eodē Abbate literas patentes, ſeu commiſſionales ipſarum literarum vigore ab Ordinarij iuriſdictione ſint exempti?

Die 1. Decembris 1668. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretū auditis ijs, quę à præfato Abbate fuerunt per ſuas literas deducta, ad ſingulas præmiſſas dubitationes negatiuè reſpondit.

De Monialibus.

I.

REgularibus, quibus Monaſteria Monialium curæ ſunt, in memoriam reuocari volumus, qua D. N. fel. rec. Alexander Papa VII. verborum expreſſione, ac pondere in vna ſpeciali conſtitutione ſua, anno 1664. hac de re edita, præſcribit ſuperioribus, & confeſſoribus earundem Monialium, quomodo, & quando liceat, ingredi eos ſepta Monaſterij, & prope illud commorari. cumquè horum obſeruātia nobis ſpecialiter committatur, & res ipſa vtpote grauiſſimi momenti diligentem executionem per ſe poſtulet, monemus eoſdem Regulares ſedulò, ne in tam graui negotio religioſa ipſorum obedientia dèſideretur, præſtentquè ſic omnia abunde, vt nihil Nobis curæ de ipſorum negligentia debeat accedere.

II.

QVo tempore Cōfeſſor extraordinarius Monaſterijs Monialium datur, cumquè his agit, vt liberiùs agat, poſſintquè ad eum Moniales ſine vlla offenſione accedere, ordinarius, niſi fuerit ſpecialiter, & nominatim vocatus, ibidē confeſſiones non audiat. contra verò extraordinarius conceſſus

cessus in determinatum tempus, V. G. in dies 15. intelligat eos dies accipiendos esse continuos à die datę facultatis vsq; dum absoluantur, ita vt illis elapsis licentiam expirasse intelligatur.

III.

DE disciplina, sanctaque institutione Monialium, quoniam Sacrarum Congregationum, & Prędecessorum nostrorum decretis inhęrentes, per duo edicta nostra ad easdem Moniales directa, abunde iam egisse visi sumus; vt eorum tamen obseruantia vigeat magis, magisquè prę manibus sint, eadem hic inserimus de verbo ad verbum, omnimodam eorundem executionem prædictis Monialibus paternè iniungentes.

Primum Edictum.

I.

CVm ex recenti Visitatione nostra, siue etiam aliunde non sine graui animi dolore acceperimus, in monasteria Monialium sensim abusus quosdam irrepere, regulari obseruantiæ nimiùm perniciosos, & qui tam nostrorum Prædecessorum ordinationes identidem emanatas, quàm Synodales constitutiones, imò etiam Sacrarum Congregationum decreta subuertunt, statuimus præsenti edicto huiusmodi malis pro dignitate consulere, proculdubio sperantes, personas religiosas, & voluntariè dicatas Deo, relaturas fructum aliquem à nostro paterno zelo: maximè si considerauerint, curę nobis esse, quàm minimùm ipsarum conscientias illaqueare multitudine censurarum: quamuis minuentes pœnas, nihil desiderium, ac sollicitã curam sanctificationis earundem ijdem ipsi minuimus.

Primùm itaque pręcipimus, vt quoties contigerit, ingredi cum debita licentia septa monasterij exteras personas, cuiuscunque status, aut conditionis extiterint, associentur à tribus, aut saltem duabus Monialibus maturioribus, quę

ue

ue inter se primi, aut secundi gradus necessitate coniunctæ non fuerint; istæ verò à totius Monasterij Moderatrice ad hoc munus eligantur: eademquè consideret, vt sàltem quadragesimum annum attigerint. iniungitur autē perfecta huius ordinationis executio Abbatissis, alijsue totius Monasterij Gubernatricibus, quæ si prædicta neglexerint, incurrant pœnam priuationis officij,

Ingredientibus exteris prædictis clausuram, Deputatæ statim à Ianitrice accersantur, quæ ingressos non ducant ad alia Monasterij loca, præterquam ad ea, ad quæ ex occurrenti necessitate vocantur: secus facientes, tam ipsę ianitrices, quàm prędictę comites priuentur voce actiua, & passiua totum annum proximè consequentem.

Volumus districtè obseruari, quod aliàs mandatum est, vt clausuræ fores, data 24. claudantur: aliter ipsæ, ad quas huius mandati executio spectat, priuatę sint officio, alijsquè arbitrij nostri pœnis sint subiectę. Insuper renouamus pristinum statutum, vt per æstatem, hoc est, à Kalendis Maijs vsque ad finem ipsum Septembris ab hora meridiana vsque ad vesperas crates collocutionibus destinatę claudātur, sub ijsdem pœnis pro Abbatissis, alijsquè, ad quas spectat, Monasterij Moderatricibus. tametsi, vt in aliquo graui, & raro casu à prædictis Moderatricibus dispensari possit, indulgemus. ipsę tamen obligabuntur in conscientia, ne tanti ponderis ordinatio in tempore multùm periculoso, vbi id non postulet districta necessitas, temerè relaxetur.

Quæ à rota, vel ianua sunt, siue aliæ quæcunque Moniales seruent omninò, quod toties decretis Synodalibus, quin etiam sacrę Congregationis iussu, prouisum est, ne intra clausuram pueri, aut puellæ etiam ante septennium admittantur sub pœna excommunicationis latę sententiæ.

Ex antiquo iure obseruari debet exactè, ne Abbatissæ, aliæue toti Monasterio præsidentes, præficiant ianuis, aut rotis Moniales quadragesimum annum non dum agentes tum istis ipsis iniungimus, vt diligenter obseruent accedētes ad colloquendum cum Monialibus, intelligantquè, num habent ijdem debitam facultatem à Monialium Vicario subscriptam sub priuatione officij, & accessus ad rotas

tas, crates, & portas toto integro mense.

Quamuis multoties vetita grauissimè fuerit collocutio à cratibus, confessionalibus, & communicatorijs Ecclesiæ: tamen non sine graui dolore nostro accipimus, in quibusdā Monasterijs hoc impune violari. propter hæc sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda reseruata Nobis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, præcipimus, vt nulla in posterum Monialis, aut alia quæuis in Monasterijs commorans, viros alloquatur à predictis locis, nisi fuerint ęditu æ in rebus ad Sacrarij dumtaxat vsum spectātibus, nec alia de causa, cum solo æedituo, aut clericis Ecclesiæ, horis ad hoc deputatis, quę secundùm antiquas leges sunt tempus matutinum, quo missæ celebrantur, aut à prandio ex festi alicuius occasione. sed extra hæc tempora claues erunt penes Moderatricem ex aliàs à nostro Prædecessore præscriptis, specialissimè anno 1651. die 19. Octobris.

Inter dies festos ex quauis occasione in Ecclesia celebratos, nullatenus ibi dispensentur dulciaria, fructus, potiones conglaciatæ, sorbitiunculæ, cocolatæ, aliaue talia, sub pœna interdicti Ecclesiæ ipso facto, alijsque pro voluntate nostra aduersus delinquentes.

Educandæ mox nupturæ sponsos suos non alloquantur sine speciali toties quoties licentia à Nobis, aut Vicario Monialium subscripta, quæ solùm concedetur ob grauissimas causas. vbi verò sic concedetur, accedant ipsę modestè indutæ sine cultu superfluo, sine vultu pigmentis illito, semper in conspectu Magistrarum suarum, quæ nunquam solas, ac sine arbitro relinquant: quod si transgressæ id fuerint, duos ipsos menses integros consequentes ad crates non accedant, & tàm Abbatissæ, quàm Magistræ priuentur officio.

Cum festiuitas aliqua celebranda erit, æedituæ, aut aliæ Prælatæ curam eius alij, quam æedituis, clericisquè ordinarijs ne comittant: qui tamen nullo modo in Ecclesijs pernoctent, nisi de licentia speciali, & scripta Vicarij nostri Monialium fuerit persona aliqua prouectę ætatis: proque eo tempore, cum nox erit, crates, confessionalia, communicatoria sint obserata clauibus, & hæ penes Abbatissam:

aliter

aliter tam ipsæ, quàm æditue priuabuntur officio, alijsq; pro arbitrio nostro afficientur pœnis.

Abbatissæ, Priorissę, & Æditua Monasteriorum nostræ iurisdictioni subiectorum, ne audeant in suis Ecclesijs alios dies festos solenniter celebrare, præter quam duos iam sæpius constitutos, hoc est, fundatoris totius ordinis, & tituli Ecclesiæ sub pœna priuationis officij ipso facto, alijsq; ex nostro arbitrio: in quas pariter pœnas eædem incurrāt, si in suis Ecclesijs permittent alijs Sacerdotibus, quàm ordinarijs, tam in prædictis festiuitatibus, quàm quocunq; alio die sacrum facere sine licentia nostra, aut nostri Vicarii Monialium.

Quoniam nouimus à superuacaneis expensis, quæ in Monasterijs fiunt, grauissima damna proficisci, tum ob violationē religiosæ paupertatis, tum etiam quia ex occasione inter ipsas Moniales fouentur æmulationes, siue etiam alia non pauca mala proueniunt, renouamus pluries latas à nostris Prædecessoribus leges, ac præcipimus, ne expensæ istæ superfluę fiant, nullius officij causa, siue sit sacrarij, siue valetudinarij, siue donarij cuiuspiam, quod ipsæ officiales ex inducto quodam vsu priuato nomine communitati largiuntur. proinde nolumus, prædictas expendere vltra summam, quam ferunt vnius anni vitalitia: quæ si expensis faciendis paria non sunt, consulant Nos, vt eo modo, qui Nobis ad præfata mala euitanda videbitur aptior, facultatem impertiamur.

A nulla Moniali educanda, aut alia quauis in Monasterijs commorante, canes, & catulæ habeantur: quod sub pœna excommunicationis Prædecessores nostri multo ante iusserunt.

Moniales Professæ, ne pernoctaturas admittant in suis cellis alias Moniales, aut nouitias, aliasquè adolescentulas, aut educandas decimum annum superantes, etiam si arctissimo cognationis vinculo iungerentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. ita videtur Nobis opportunū, nostrorum Prędecessorum quoad hoc statuta renouare, si qua parte ab exacta sua obseruantia deciderint: quo id etiam sequemur, quod Sacra Congregatio iam ante præscripsit. Neque tantummodo prædictæ in talem pœnam incur-

incurrent, sed etiam ipsę Nouitiarum, aut Educandarum Magistræ, quę id permittent.

Denique hortamur, rogamusquè Moniales omnes, & quã-cunque aliam in Monasterio degentem, vt seriò cogitent, quàm arcto iure teneantur, ne in ijs locis scandalum faciant, in quibus elegit Deus, sanctificare sibi cęlestes Sponsas: vt proinde quàm dedeceat ipsas in dissolutos sæcularium mores transire. Insuper Moderatricibus omnibus impensè commendamus, vt incessanter harum ordinationum, quas paterno zelo, & diuturna consideratione maturauimus, exactę obseruantię inuigilent. Atque vt omnes conuenientem earum notitiam habeant, pręsens edictum maneat in aliquo loco publico continenter affixum, vnde legi semper commodè possit à quauis, quę ipsum legere voluerit: datum in Archiepiscopali Palatio. die 27. Maij 1668.

Alterum Edictum.

Inter grauiores, quæ nos in hoc nostro Pastorali officio premunt, solicitudines, nulla maior, quàm vigilans custodia Monasteriorum, quę sicut electa à Deo sunt in sacrosancta Sanctuaria Virginum Sponsarum suarum, ita quotidie ab insidioso Satana oppugnantur, qui nititur inferre latenter multos profanos abusus, & à regulari obseruantia dissonos, opera extraneorum, qui multarũ causarum specie cum Monialibus, alijsue Monasteria habentibus, consuetudinem aucupantur. propterea omni nos conatu imminentibus malis prouidere volentes, necessarium duximus, edictum ferre, in quo, quę sunt magis necessaria, pręcipimus, innouantes plerunque veteres ordinationes multoties à nostris Prædecessoribus latas, imò ex parte à sacris Congregationibus pręscriptas.

Nemo sine nostra, aut Vicarij nostri Monialium licentia audeat ad Monasteria accedere, vt ibi cum Monialibus, aut educandis, aut alijs ibidem commorantibus colloquatur sub pœna excommunicationis latę sententiæ Nobis reseruatæ

De

De mandato Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium ad nostrum Prædecessorem directo vsque ab anno 1643. die 28. Augusti nemo ingredi audeat Monasteria subdita Regularibus, nisi insuper habeat Vicarij nostri Monialium manu subscriptam licentiam: aliter declarabitur, incurrisse censuras Sedi Apostolicæ reseruatas, quemadmodum is incurrit, qui sine debita licentia ingreditur in Monasteria: & ad declarationem talium censurarum contra eum procedetur.

Cum interdum humana nequitia eò perueniat, vt audeat velle satanicis inuentis Sacrarum Deo Virginum templa polluere: volumus excommunicationi latæ sententiæ Nobis reseruatę non solùm subiacere eos, qui cum Monialibus, Educādis &c. obscœna loquentur: sed etiam qui mittunt, aut ferunt ijsdem habitantibus in Monasterijs literas, aut mandata parum honesta: pariterque eos, qui à vicinis locis auferint ijsdem nutus, salutationes, aliaque familiaritatis signa exhibere.

Confessarij Ordinarij completo ipsorum triennio, nullatenus, nisi altero triennio elapso, præsumant accedere ad Monasterium, in quo confessiones audierunt, neque vt missam celebrent, neque vt confessiones audiant, neque vt colloquantur, aut de alia quauis re à cratibus agant sub pœna suspensionis ipso facto tam à confessionibus excipiendis, quàm à Missis celebrandis, subque alijs corporalibus pœnis arbitrio nostro.

Nullus seu Sæcularis, seu Regularis Sacerdos accedere vllo tempore audeat, ne occasione quidem festiuitatis, ad missas celebrandas in Ecclesijs Monialium subditarum iurisdictioni nostræ absque licentia prius in scriptis obtenta à Vicario Monialium, sub pœna suspensionis ipso facto, alijsquè pro nostro arbitrio.

Iidem Confessores monialium tam ordinarij, quam extraordinarij non audeant, quo tempore funguntur officio, siue illo iam absoluto, accipere sub pretextu aliquo priuatim à Monialibus donum, seu cuiusuis generis munus, etiam titulo caritatis, aut eelemosynæ pro missis, pro quibus nihil accipiant vltra carolenos duos: sicut in decretis quoque Synodalibus die 18. Iunij 1642. mandatum fuit; sed

E satis

satis erit, eos accipere, quod à totius Monasterij Moderatrice publico nomine mittetur: secus facientes, subiaceant pœnæ suspensionis ipso facto.

Nemo virorum, etsi facultatem habeat alloquendi Moniales, aut educandas, aut alias in Monasterio commorantes, alloquatur eas à cratibus ecclesiæ, à communicatorijs, confessionalibus, aut rotis ibidem positis sub pœna excõmunicationis ipso facto nobis reseruatæ. Sacristæ tamen, aut Clerici, quibus ad prædicta loca loqui necesse fuerit, id solùm poterunt, quo tempore missæ celebrantur, siue etiam per diem occasione solemnitatis, de ijs tantùm rebus, quæ ad ipsorum munus spectant, & breui spatio sub eadem excommunicationis pœna, alijsque ad nostrum arbitrium.

Obseruetur, quod iussum multoties fuit iuxta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium decreta pro alijs tẽporibus edita, ne Musicæ Magistri accedant ad crates docturi Moniales, aut educandas sonum, cantumue præsertim figuratum, aliter prædicti Magistri incurrant ipso facto excommunicationem, si laici fuerint: sin autem clerici, pœnam semestris carceris formalis præter alias reseruatas arbitrio nostro.

Similiter sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus prohibemus accessum ad audiendum Moniales, vel educandas à cratibus pulsantes, vel cauentes.

Nemo virorum ingrediatur locum, in quo fœminæ cum Monialibus colloquuntur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Nullus licet æditaus, aut Clericus Ecclesiarum Monialium audeat in prædictis Ecclesijs pernoctare ex festiuitatis, aut necessitatis alterius occasione, sub pœna in Clericos carceris formalis sex menses, alijsquè arbitrio nostro, in laicos excommunicationis latæ sententiæ Nobis reseruatæ.

Dat. Neap. in Archiepiscopali Palatio die 20. Maij 1668.

De

De Vespillonibus, seu funeratoribus.

VEspillonum, seu funeratorum auaritia, dum summas excedentes pro deportandis, tumulandisquè fidelium cadaueribus ad ipsorum beneplacitum extorquent, magno Christianæ plebi scandalo, offensioni, atque impedio est: quæ nostri gregis non mediocria ex aliena peruersitate incommoda tollere cupientes, re cum peritis æstimatoribus communicata, ac benè perpensa, pro illorum officio, labore, iuribusquè omnibus sequentem taxam præscribimus, excommunicationi eos subijcientes ipso facto, si supra eam quicquam non sponte, & per se ab ipsa parte oblatum acceperint.

Igitur pro deportatione, ac tumulatione cadaueris intra Parochiam soluantur ipsis caroleni decem. Extra Parochiã in vnius milliaris distantia viginti, ita vt ex hac summa detrahendum, aut addendum sit, secundùm distantiam additam, aut detractam milliari. Si verò funeralia nocturno tempore fieri contingat, sex respectiuè caroleni superaddantur. si descendere eos in ipsum sepulcrũ oporteat, pro qualitate periculi, & secundùm prudentem Cellararij æstimationem aliquid ampliùs detur.

Cum loculum ipsi, & culcitram locant, si vilioris materiæ ea fuerint, sex carolenos accipiant: si de villoso serico quindecim: si de auro, vel argento textili, etiam viginti. Sed cum vnam dumtaxat culcitram, aut vnum loculum commodant, dimidium prædicti lucri reportent.

Pro locatione argenteę crucis carolenos duos, coronæ argẽteæ vnum accipiant.

Sed cum faciendæ sunt exequiæ pauperum, hortamur eosdẽ funeratores, vt memores Christianæ pietatis exhibeant gratis illam operam, quam IESVS CHRISTVS minimis suis factam, vt sibi ipsi factam agnoscit.

Quod si prædictę conuenienti summæ acquiescere nolentes, vltra eam quidpiam petierint, cellararij teneantur aduocare alios quoscunque, etiamsi de illorum genere, ac munere non sint, sub pœna decem aureorum soluendorum locis pijs.

II.

INsuper obseruent prædicti funeratores, quod in visitatione anni 1635. die 19. Nou. statutū fuit, ne sine licentia expressa Parochi, aut Cellararij, feretrum ipsi ad defuncti domum ferant: aliter excommunicentur, & à funerandi munere in perpetuum repellantur.

Ipsi verò Parochi, curent, vt feretrum, aliaue pro exequijs necessaria apud se sint, vt renuentibus illis pro taxa præfinita locare operam suam, possint ad id munus alios aliunde pro suo arbitrio conducere.

De Concubinarijs.

I.

COncubinarios, publicam Christianæ Plebis offensionē, & scandalum pro ea, quam dedit Dominus Nobis, solicitudine Ecclesiæ nostræ, omni opera, atque incessanti studio laborantes, extirpandos curauimus, & nunc quoque in pręsentia curamus. cumque, Deo adiuuante, multi inueterati dierum malorum, diuturnaque concupiscētia illecti ad torrentem diuinę voluptatis, posthabito cœnoso carnis, opportunè se reuocauerint: vt his, alijsue talibus in posterum maturiùs consulatur, de paterna benignitate ijs indulgemus, vt nimirum facta reali separatione & tori, & domus absolutionem possint obtinere, etiāsi per bimestre tantùm se continuerint, abrogato rursus antiquo iure quadrimestris separationis.

II.

SI euentu aliquo inducta fuerit physica, vel etiam moralis impotentia recidendi: aut si proximè sacro se matrimonio sint copulaturi, idque certò, aut saltem valde probabiliter constet, arbitrio prudentis Confessarij, si sint quoad reliqua ritè dispositi, neque aliquo alio impedimēto prohibeantur, vt etiam ante hoc bimestre tempus sacra-

cramentaliter absolui possint, non obstante quouis contrario iure, benignè concedimus.

De Foro Iudiciali.

I.

NEmo Clericorum sine bona venia nostra in sæculari iudicio compareat: multò minus expostulationes, seu querelas agat. qui vtrumque, aut alterutrum violare præsumpserit, nostro arbitratu punietur.

II.

QViã per alias Synodales constitutiones decretum fuit, Apochas bancorum contra personas Ecclesiasticas habere executionem paratam, dummodo non excedant sũmam ducatorum 50. (quam nunc nos summam iustis de causis nouo iure vsque ad ducatorum centum extendimus) non desunt creditores, qui in fraudem huius statuti diuidunt ipsi summam excedentem, & pro diuisione ab ipsis facta petunt sibi velut ex iure nostro paratam executionem. Nos vt fraudes, ac lites omnes pręcidamus (quod etiam in alia Diœcesana Synodo factum est) similiter declaramus, atque decernimus; his diuisionibus à Creditore factis non competere executionem extraordinariam, sed vt in alijs omnibus summis excedentibus procedendũ esse ordinariè, & prout de iure: quæ decreta, eorumque moderationes, seu limitationes ampliata iam ad literas cambij protestatas, nos quoque ampliamus, eandem viã executiuam tantùm in credito, vt supra extenso ducatorum centum, huiusmodi literis cambij contra personas Ecclesiasticas concedentes.

Innicus Card. Caracciolus Archiepisc. Neap.

Lectione Decretorum completa petitum à Synodo est, an ea placerent? & placere sibi ea decreta Synodus vniuersa respondit. quare ad Cleri vocationem proceditur: pro hac autem sic promotor instabat:

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

SAncitum à Generalibus Concilijs, specialiter à Tridentino est, si, qui de iure, aut consuetudine, etiamsi quoad cætera exempti Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, actu pro tempore non interfuerint, vt pœnis à sacris Canonibus decretis, tanquam in re satis graui negligentes pro culpæ dignitate puniantur. vt igitur qui hactenus inobedientes fuerint, fuisse deprehendantur, ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor peto humiliter Eminentiam tuam, vt velit iubeat, clerum omnem de more vocari. Tum respondit Eminentissimus: Volumus iubemus: totusque Clerus Cursoris voce eo, qui sequitur, ordine vocatus est.

Abbas S. Mariæ ad Cappellam.
Abbas insulæ Prochytæ.
Abbas S. Georgij Maioris, Curatus, Hebdomadarij, & Beneficiati.
Abbas S. Mariæ ad Plateam, Curatus, Præsbyteri Cõfratres, & Benef.
Abbas S. Pauli Maioris, Præsbyteri Confratres, & Beneficiati.
Abbas S. Mariæ Maioris, Curatus, Hebdomadarij, & Beneficiati.
Abbas S. Mariæ de Patientia Cæsarea.
Parochus Ecclesiæ Metropolitanæ.
Rector S. Ioannis Maioris, Curatus, Hebdomadarij, Præsbyteri Confratres, & Beneficiati.
Rector S. Mariæ in Cosmedin, Curatus, Hebdomadarij, Præsbyteri Confratres, & Beneficiati.
Rector S. Agnelli Maioris, Curatus, Præsb. Confratres, & Beneficiati.
Rector S. Mariæ de Rotunda, Curatus, Præsbyteri Confratres, & Benef.
Rector Curatus S. Thomæ ad Capuanam, Præsbyteri Confr. & Benef.
Rector Curatus S. Mariæ ad Cancellum, Præsbyteri Confr. & Benefic.
Rector Curatus S. Angeli ad Signum, Præsbyteri Confr. & Beneficiati.
Rector Curatus S. Ianuarij ad Vlmum, Præsb. Confr. & Beneficiati.

Pa-

Parochus S. Archangeli Armeriorum, Præsb. Confr. & Beneficiati.
Rector S. Ioannis ad Portam, Curatus, præsb. Confr. & Beneficiati.
Rector S. Ioannis ad Curtim, Curatus, præsb. Confratres, & Beneficiati.
Rector Curatus S. Mariæ de Scala. Rector Curatus s. Sophiæ.
Parochus S. Eligij Maioris. parochus s. Catarinæ in foro Magno.
parochus S. Annæ de Palatio. parochus s. Mariæ Incoronatellæ.
parochus S. Mariæ Omnium Gratiarū. Parochus s. Iacobi Italorum.
parochus S. Ioseph Maioris. parochus s. Mariæ de Charitate.
parochus ss. Francisci, & Matthæi. parochus s. Marci.
parochus s. Mariæ de Catena. parochus s. Mariæ ad Niues.
parochus Omnium Sanctorum.
parochus s. Michaelis Archangeli ad Arenam.
parochus ss. Ioannis, & Pauli. parochus s. Mariæ Aduocatæ.
parochus s. Mariæ Virginum. parochus s. Strati Villæ Pausilypi.
parochus s. Mariæ de Succursu Villæ Arenellę.
parochus s. Mariæ Gratiarum Capitis Montis.
parochus Sanctissimæ Annunciationis ad Fonsecam.
Sacrista Curatus Sanctissimę Annunciationis.
Cappellanus Curatus s. Ioannis Florentinorum.
Cappellanus Curatus s. Georgij Genuensium.
Rector Præpositus PP. *s. Brigittæ in via Toleti.*
Archipresbyter Capitis Montis. parochus Piscinolæ.
parochus Caluizzani. parochus Polueca. parochus Marani.
parochus Paniscocoli. parochus Marianellæ. parochus Meliti.
parochus Miani. parochus Mugnani. parochus Chiaiani.
Archipresbyter Afragolæ. parochus s. Georgij Afragolæ.
parochus s. Marci Afragolæ. parochus s. Marci Casoriæ.
parochus Arzani. parochus Casauatoris. parochus Secondigliani.
parochus s. Petri ad Paternum. parochus Casalis noui.
Archipresbyter Turris Octauæ. parochus Turris Octauæ.
parochus Barræ. *parochus Resinæ. parochus Porticus.*
parochus s. Georgij ad Cremanum. parochus s. Sebastiani.
parochus Trochię. parochus Massæ de Summa.
parochus s. Ioannis ad Teduccium. parochus Pollenæ.
parochus Ponticelli. parochus s. Mariæ Gratiarum de Bosco.
parochus Sanctissimæ Annunciationis de Bosco.
parochus s. Annæ de Bosco. parochus Spiritus sancti de Bosco.
Vicarius Curatus perpetuus Insulę Prochytę.
Rector s. Nicolai ad Don Petrum, Confratres, *& Beneficiati.*

Re-

Rector s. Georgij in foro veteri, Confratres, & Beneficiati.
Rector Sanctissimorum Apostolorum, Confratres, & Beneficiati.
Rector S. Ianuarij vulgò à spoglia morti, Confratres, & Beneficiati.
Rector s. Martini ad Capuanam, Confratres, & Beneficiati.
Rector s. Christophori ad Capuanam, Confratres, & Beneficiati.
Rector, & Beneficiati s. Agathæ ad Capuanam.
Rector ss. Petri, & Pauli Græcorum.
Rector s. Demetrij.
Rector s. Mariæ ad Secula, Confratres, & Beneficiati.
Rector, & Beneficiati s. Simonis in foro veteri.
Rector, & Beneficiati s. Petri ad Aemeliam.
Rector, & Beneficiati s. Nicolai Sciallorum.
Rector, & Beneficiati s. Marci Lanzeriorum.
Rector, & Beneficiati ss. Ciri, & Ioannis.
Rector s. Crucis Ferri veteris.
Rector, & Beneficiati ss. Luciæ, Euphemiæ, & Geminiani.
Rector, & Beneficiati s. Mariæ ad Herculem.
Rector, & Beneficiati s. Mariæ de Lucciola.
Rector, Confratres, & Beneficiati s. Andreæ ad Nidum.
Rector, & Beneficiati s. Pauli ad Capuanam.
Rector, & Beneficiati s. Catharinæ Spineæ Coronæ.
Rector Pietatis Sangrorum.
Rector, & Beneficiati s. Margaritæ in Sedili Portus.
Rector, & Beneficiati s. Mariæ de Rosa.
Rector s. Seueri extrà mœnia.
Rector s. Mariæ ad Mare.
Rector, & Beneficiati s. Mariæ vulgò di Buon camino.
Rector, & Beneficiati s. Petri ad Fusarellum.
Rector Animarum Purgatorij.
Rector ss. Ioannis, & Pauli de Montanea.
Rector s. Honuphrij ad Capuanam.
Rector s. Petri de Bassacena.
Rector s. Iulianessæ.
Rector Pietatis Turchinorum.
Rector Pauperum Iesu Christi.
Rector s. Viti in Iudæa.
Rector s. Caroli in Burgo Virginum.
Rector s. Mariæ Caracciolorum à Scassacocchi.
Rector s. Luciæ in Burgo s. Antonij.

Rector

Rector s. Palmæ.
Rector s. Agathæ Aurifabrorum.
Rector s. Andreæ Scopariorum.
Rector s. Mariæ ad Porchianum.
Sacrista Ecclesiæ Metropolitanæ.
Sacrista Ecclesiæ s. Restitutæ.
Sacrista s. Eligij Maioris.
Sacrista s. Mariæ de Constantinopoli.
Sacrista Incurabilium.
Sacrista s. Iacobi Hispanorum.
Sacrista Spiritus sancti.
Sacrista Incoronatæ.
Sacrista s. Ioannis ad Mare.
Sacrista s. Mariæ de Patientia Cæsarea.
Sacrista s. Ianuarij extrà mœnia.
Sacrista s. Angeli ad Nidum.
Sacrista s. Antonij de Vienna.
Sacrista Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum.
Sacrista s. Mariæ de Solitaria.
Sacrista s. Annæ Lombardorum.
Sacrista Misericordiæ.
Sacrista Refugij.
Sacrista s. Georgij *Genuensium.*
Sacrista s. Ioannis Florentinorum.
Sacrista s. Margaritæ ad Fonsecam.
Sacrista s. Nicolai Maioris.
Sacrista s. Mariæ Visita pauperum.
Sacrista s. Ioseph Maioris.
Sacrista s. Mariæ de Cellara.
Sacrista s. Mariæ de Pignatellis in Sedili *Nidi.*
Sacrista s. Mariæ *Meschinorum.*
Sacrista s. Agnelli de Graffis.
Sacrista s. Mariæ Gratiarum in Petra Piscium.
Sacrista s. Mariæ Gratiarum in Paludibus.
Sacrista s. Stephani *alli Mandesi.*
Sacrista sanctorum Crispini, & Crispiniani.
Sacrista sanctorum Philippi, & Iacobi Parrettariorum.
Sacrista sanctorum Philippi, *& Iacobi in via Bibliopolarum.*
Sacrista s. Mariæ de Libera.

Sacri-

Sacrista s. Mariæ de Victoria.
sacrista s. Iacobi alla Sellaria.
sacrista s. Mariæ della Grande.
sacrista s. Bonifacij.
sacrista s. Clementis.
sacrista s. Thomæ Cantuariensis.
sacrista sanctissimi Saluatoris de Pianellari:
sacrista s. Christophori.
sacrista s. Mariæ de Candelora.
sacrista s. Blasii in Vlmo.
sacrista s. Blasii in Iudæa.
sacrista s. Iacobi delli Panettieri.
sacrista s. Matthæi in Lauinario.
sacrista s. Alexij in Lauinario.
sacrista s. Mariæ Gratiarum in horto Comitis.
sacrista sanctorum Cosmæ, & Damiani alli Banchi nuoui.
sacrista s. Maria Gratiarum Artis Lanæ.
sacrista Pietatis s. Ioannis ad Carbonarium.
sacrista s. Petri ad Vincula.
sacrista s. Honuphrij Senum.
sacrista s. Ioannis in Maritima Vini.
sacrista s. Mariæ de Portu Saluo.
sacrista s. Mariæ de Pilerio.
sacrista s. Iuliani.
sacrista s. Marthæ.
sacrista s. Mariæ Gratiarum alla Zabattaria.
Cappellanus Beneficiatus s. Mariæ Martyrum *in Ecclesia s.* Mariæ *de Planctu Cryptæ Vespertilionum.*
Beneficiati omnes Ciuitatis, & Diœcesis.

Peracta, vt dictum est, Cleri vocatione, Promotor, absentiũ contumacia accusata, sic pro eorundem punitione instat.

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

EX ijs, qui iuxta sacrorum Canonum dispositionem Diœcesanæ Synodo interesse debent, multi nullo iure excusati desiderantur. ideo ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor Eminentiam tuam instan-

instanter rogo, vt hos ipsos perinde vt inobedientes, & contumaces pœnis per eosdem sacros Canones constitutis mulctandos decernat.

Respondit Eminentissimus: Mulctandos decernimus, & mandamus. Deinde facta est noua instantia pro Synodi conclusione in hunc modum:

Eminentiss. ac Reuerendiss. Pater, & Domine.

OMnibus iam Deo adiuuante peractis, atque ad finem præstitutum feliciter adductis, illud ab Eminentia Tua ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor humillimè peto, atque obsecro, vt, si videbitur, ac libuerit, Synodum concludat, & cum paterna benedictione ad propria dimittat.

Hic Secretarius ad thronum accedens accepit ab Eminentissimo, acceptumque de consueto loco perlegit

Decretum de Dimissione Synodi.

AD Laudem Dei Omnipotentis, ac Beatissimæ Virginis Deiparæ MARIÆ, Patronorum Ianuarij, Agnelli, & aliorum omnium Sanctorum, Sanctarumque Synodum dimissam decernimus, cunctisque ad proprias Ecclesias esse redeundum. Sed redeuntes vos impensè hortamur, & qua maiore cura possumus, admonemus, vt renouato spiritu mentis vestræ, aucto studio disciplinæ, moribus ad formam vester genere dignam exactè restitutis, videat Populus Cristianus non institui frustra in Ecclesia Synodos, sed ab ijs religionem, ac sanctitatem omnem sua incrementa suscipere. ita, quæ vestra laus propria est, non sub modio, sed super candelabrum lucernæ ardentes, & lucentes positi, omnibus, qui in domo, hoc est, in Ecclesia sancta sunt, exemplo, & doctrina lucebitis,

Restabat illud vnum, vt horum, quæ tribus hisce sessionibus acta sunt, publicum instrumentum à Notario Synodi conficeretur. idcirco Promotor ante Eminentissimum sic postremò instat.

Emi-

VT eorum, quæ diuina auxiliante gratia in hac Neapolitana Synodo, præsidente Eminentia Tua, ad Dei Omnipotentis honorem, & salutem animarum acta sunt, legitimum, ac firmum testimonium in omne tēpus permaneat, ego Nicolaus Gilibertus Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor humillimè precor, vt velit, ac mandet Eminentia Tua Vincentio Ayeta Notario huius eiusdem Synodi, vt publicum, ac solenne de his Synodalibus actionibus tridui spatio peractis, prout moris est, instrumentum ipse conficiat.

Respondit Eminentissimus: Volumus, & mandamus. statimque Notarius excepit: Conficiam libenter. Et iam Eminentissimus assurrexerat, & ab eodem throno, in quo stabat, incipit Hymnum *Te Deum laudamus*, & Clerus prosequitur. hymno finito Eminentia Sua recitauit preces, vt in Pontificali: benedixit Synodo: publicatæque sunt de more Indulgentiæ. Postremo Diacouus proclamauit, Recedamus cum pace: responsumque, In nomine Christi. Amen.

LAVS DEO.

